


N O T A T I O N E S
E T
O B S E R V A T I O N E S
I N
R I C H A R D I M E A D
M O N I T A E T P R A E C E P T A
M E D I C A,
A U C T O R E

C L I F T O N W I N T R I N G H A M ,

*M. D. C. M. L. & R. S. Socio, Equite Aurato, & Medico
Regio, olim & valetudinarii provisi in usum Britan-
norum apud exteris gentes bella gerentium
medico & praefecto.*

F A S S I T M I H I V I S A R E F E R R E .
O V I D . E P I S T .



L U G D U N I B A T A V O R U M ,
E X O F F I C I N A H A A K I A N A ,
C I C I C C L X X I I I .

IN
TAT
OP
OPSERVATIONES
RICARDI MED
MONILI ET PRACTICAE
MEDICO-VETERINARIAE
AUTORE
GILTON WINTREBINGHAM
COMITIS GLOUCESTRIENSIS
OVIDI HERIST
EST SIT MHN VIVI RENKUM
1630



LUDVINI MURATORI
ANNA H. DUCENS
1630 CCCCXXII



P R A E F A T I O.

Monita haecce, variis observationibus ac animalversionibus ulterius illustrare, & confirmare, & inde certiora ac utiliora reddere, est hujus operis solus atque unicus scopus; est totum id, quod multorum dierum labore conatur Editor.

Paginam nostram non implent vanae aut fictae morborum species, non aegrorum somnia, sed symptomata, quae ipse miserrima vidi; eaque, non quasi agmine facto, in infinitum conglomerata sed pauca & simplicissima, ad lectum pro maxima parte delineata, perspicuo, quantum possum, sermone tradо.

Aegrис enim aut mederi, aut certe opem, quam medicina poterit, afferre, hoc erat in votis, hoc studium, hoc opus mihi semper imposui: quod adeo verum est, ut, si ex plurimis hisce observationibus una saltем aut altera occurrat, seu ex prisco aut ore alieno emissा, modò hic magis clara & distincta, aut praxi magis accommodata redditа sit; seu ex ore proprio edita, & alio indicta, modò ad humani corporis morbos & dolores prorsus tollendos pacandosve plane conferat, voto potitus sum, laetusque forte mea supremum obibo diem; dummodo sint mihi ultima verba, quae has aures personent: vale, militae nec piger, nec inutilis urbi vixisti civis.

De morborum ac medicamentorum natura, viribusque, permulta tradiderunt veteres; ea vero, non tantum sibi invicem, verae corporis humani

* 2 fa.

fabricae, & statis naturae legibus incongrua, sed absurdā & ridicula; donec immortalis Harveius, Angliae insigne ornamentum, sanguinis circuitum fida demonstratione patefaciens, hujusmodi nebulas, lucis suae splendore, dissipavit; & plus certi, uno die, medicinac Theoreticæ adduxit, quam ab omni aevo prodiderant fallaces veterum Hypotheses.

Neque revera in rebus philosophicis plus proficiendum est, dum nobis feracis ingenii subtilitates, pro rebus ipsis incauti obtrudere conantur tum medici, tum philosophi: at non est hujus loci, non mihi est in animo, alios debita laude fraudare, multo minus docta & laboriosa medicorum opera perstringere; propterea quod de his omnibus, semper mihi, ea, quā par est reverentiā, habita fuit, & habebitur sententia illa generofa, ac honesta, quae docet, nil de mortuis dicendum debere, nisi bonum.

Interea nullus dubito, quin medendi praecepta, quae his literis tradita dedi, peritissimis hujus aevi, & praesertim hujus urbis, ejusque praxi versatissimis, ad amissim cognita & apprime familiaria sint. Hisce autem quamplurimis, ad implendum vestigium illud ipsum, in quo celebris noster auctor postremum instituit, aut deest otium, aut animus; quibus, si mecum fruerentur, auctiorem de juvantibus & nocentibus, in morbis curandis, scientiam tot tantisque laboribus partam, tyronibus seu prae-fentibus, seu posteris impertire possent: en igitur, lector benebole, addenda quaedam tyrocinia, non ad hypothesis quandam subtilem stabiliendam ex-cogitata, sed ad prixin medicam planius ac certius dirigendam solummodo spectantia! En observatio-nes quasdam haec tenus praetermissas, nec, ut mihi videtur, attentione indignas, nec usu carentes.

Hoc igitur proposito bene locato munitus, in spem confidentius adducor, ut unusquisque lector in-

ingenuus, clementis patroni indulgentiam aemulari
nitatur, potius quam inquisitoris faevi aut severi
munere fungi, qui singula quaeque verba oculis
Lyncaeis rimare & culpare promptissimus moliatur.

Multa praecepta, multa equidem monita, ac
quasi nostra in opere praesenti edita, apud morbo-
rum historias a clarissimis medicis vulgatas inveniri
pro certo habeo; attamen me his locum concessisse,
non quia a veteribus ita edita aut laudata, sed
quia praxi propria stabilita sunt, nullo theoriae cu-
juslibet respectu habito, religiose pro testimonio di-
cere queam.

Mihi enim hoc erat in more instituto positum, in
omni genere & varietate morborum, quorum curam
fusceperam, accuratas eorundem, quantum potui,
historias imprimis conquerire, ac literis tradere,
symptomata omnia, ut ut per totum cujusque mor-
bi cursum inter se varia atque diversa perpendere,
comparare, & in ordinem redigere, & ex his talia
seligere, qualia, vel ad certiorem ejus notitiam,
vel ad tutiorem therapeuticen, immediate spectare,
& conferre mihi monstravit ac stabilivit experien-
tia, non decies, sed plusquam centies, & etiam
centies, repetita.

Fateor equidem, haec ipsa mihi fuisse voluptati,
si quandoque, quod non perrarum erat, mihi inter
legendum animadvertere contigerit, ut observa-
tiones quas de die in diem, de singulis morborum
speciebus feceram, quas, de rebus circumstantibus
numerofis, atque inter se dissimilibus, sigillatim
ceperam, auctorum tam veterum, quam recentium
scriptis, adeo conformes, adeo comprobatae, ac
quasi, ex eodem penu; depromptae viderentur, ut
hujusmodi notas in Aphorismorum locum, tanquam
demonstratione ulteriori haud egentium, tuto ad-
mittendas esse, vix, ac ne vix mihi quidem du-
bium esse posset.

Objicit hinc aliquis derisor forsitan, nihil ideo-


que in paginis sequentibus dictum esse, quod non dictum prius: ne frustretur ipse se, me facti reum tantum non habet; at lectorem ingenuum aequumque quiddam novum ac non inutile reperire posse, mihi ipse equidem confido.

Veritates interim, easque insignes, maximique momenti, nobis tradidisse autores medicos, haud nego; verum enimvero non minus constat, eorum scripta, paucis saltem exceptis, tanta farragine hypothetica, tantis fabellis anilibus, tantis cautionibus tam perplexis quam incongruis, scatere; ut ipsa paecepta, quae ad cognoscendos accurandos morbos multum & vere conferant, delitescentia & quasi obruta redditia sint: imo ita certè confunduntur vera falsis, ut parvae auri atque argenti portioni sub vastis urbis conflagratae cineribus sepultae, & inter se commissae, jure comparari possint: optata inde metalla, ut ut pretiosa eruere, aut vix, aut nullo modo operae pretium esset; quid enim spei restet, nisi multum sudare, & frustra forsitan summo cum periculo servilem & affiduum impendere laborem?

Si naturae leges asperae velint postulentque, ut sint mille morborum species; tentanda quoque via, ut artis medicae professores mille salutis modos investigent, paebeantque; denique, ut omnibus mendendi armis instructi, humano generi tantis in periculis versato, opemque undique imploranti, se reddere valeant paeſidia fida, atque solamina gratisima.

Responce idcirco diligenter, quid velit ac possit microcosmi concordia discors: quid moneant aut mandent variae ejus facultates & functiones laefae: & his cognitis, solvens illud universale, Alcacheton dictum nec quaeres, nec desiderabis, aut si panaceorum adeo appetens, ut ea adhuc investigare, & tentare hoc tibi sit opus, atque hic labor; nomen merebis, quod dicere nolo.

N O-



NOTATIONES ET OBSERVATIONES

I N

MONITA ET PRAECEPTA

M E D I C A
RICHARDI MEAD.

C A P U T I.

De Febribus.

S E C T I O I.

De Febribus generatim.

Pag. 10. l. 4. *Actionesque vitales laedit.*] In omni morbo sive acuto, sive chronicō, de viribus vitalibus aliquid veri judicij facere, maximi est momenti. Si respiratio parva, cito, anhela, suspiriosa, inaequalis, si

A diffi-

difficilis, erecta, laboriosa, frigidave sit, si cum dolore, gravitate, tufse, sibilo, stertere, aut spuma fiat; si pulsus parvus, debilis, frequens, si durus, si inaequalis, intermittens, formicans, tremulusve sit, si singultus cum nisu pectoris magno, si syncope, tremor, aut palpitatio cordis adfint, de viribus vitalibus laefis plane constat, eaque fere ratione, qua symptomata modo recensita quoad gradum, numerum, varietatem, congressum & copulationem, modo plura modo pauciora, cuivis aegro contingere videantur, utique & contra, si contraria his, se palam faciant:

S E C T I O I I .

De febris solutionibus.

Pag. 11. l. 1. *Sine insigni aliqua exinanitione.]* Observatu dignum est, celebres medicinae scriptores, plurima febris solutionis tradidisse signa, qualia sunt sudor, febris declinatio, urinae coctio & subsidentia, aliaque similia; ex iis nemo verò, quantum scio, certa signa dedit, quorum ope naturam, exemplò praeceteris omnibus febris temporibus, ejus solutionem moliri diagnoscamus.

Hoc autem praescire longe maximi est momenti, ne vel fiant exinanitiones solutionem impedientes, vel ingerantur cibi, aut medica-

men-

menta, quibus natura tunc temporis materiam aliquam extrudere contendens, novo onere op- primatur.

Si itaque quovis febris tempore, sine causa evidenti, respirationem fieri majorem, pulsumque velociorem & plerumque pleniorum & fortiorum, nec non & sensum cuiuspiam tensi in hypochondriis una cum adaucta corporis inquietudine repente & inopinatò adeste pateat, naturam tunc temporis materiae aliquius expulsionem moliri pro certo habendum est, sive sit in particulari intermittentium paroxysmo, sive in febre remittente, aut continua, & proinde paucis tantum horis elapsis, saepe citius multò, vel fiet sudoris aut sanguinis eruptio, vel alvi dejectio, urinae profluvium, aliudve simile, peractaque tali exinanitione pulsus haud raro fit brevi mollis & undosus; id autem procul dubio contigit, postquam tepidus toto manavit corpore sudor.

Pag. 11. l. 9. *Qualis humoris emissio.*] Qualis autem humoris emissio mox continget, hoc modo cognoscenda est, semper enim erit vel gravitas, dolor, aut pruritus cum calore eà in parte, ex quâ erupturus sit fluxus. Exempli gratiâ, si e naribus exiturus sit sanguis, praeter priora signa adest dolor gravis in fronte & temporibus, rubent & calent malae, pulsant tempora, & sanguine jam fluxuro naribus supervenit pruritus. Haec autem crisis raro fit, nisi vel obstruc̄io vel inflammatio in ab-

dominis vel thoracis vasis, praecipue prioribus, oborta sit, vel plus aequo retenta fuerint menstrua, aut parcae nimis in initio institutae fuerint exinanitiones, praesertim missio sanguinis.

Si autem per vomitum materies expellenda sit, adsunt stomachi morsus, vertigo nausea, tremor labii inferioris cum salivâ multâ, tenui ex ore desflente.

Si per urinæ vias, adsunt primo urinæ crebra cupiditas, eaque ipsa cum sensu caloris in urethra excernitur; deinde largâ copiâ crassum redditur lotium. Haec autem crisis, ut & ea per vomitum raro perfecta est, sed potius horum ope gradu quodam levatur natura, laxantur vasa, & tum sudoribus absolvitur crisis.

Pari modo, si per alvum fluxura est excreta materies, adsunt tormenta plus minusve pro gradu acrimoniae, ventris crepitus, à quibusdam scriptoribus Borborygmi dicti, cum desideri conatu.

Si denique per cutis meatus effluxura est, adeat inquietudo magna quae ex febrili causa nervos per totum corporis ambitum & superficiem, stimulante, gignitur cui, materia morbida ad idoneam exinanitionem in primis redditâ, & jam jam expulsurâ, accedit pruritus.

Haec morbi solutio, quae per sudorem efficitur, aliis plerumque perfectior est. Nam in caeteris jam praedictis, quamvis à sanguine, impetu aucto, quaquaversum profidente, pro varia aegrorum fabricâ, & habitudine, ex glandulis

dulis maxime patentibus expulsa aut excreta sit materiae pars aliqua peccans, ita ut gradu quodam leventur symptomata, ut supra dixi, cum tamen hujusmodi excretiones plerumque nimis parcâ copiâ factae sint; his non obstantibus, adeo obstructa & clausa interea manent cutis spiramenta, ut morbi solutio evadat imperfetta, donec excitato demum, à naturâ, sudore largo spontaneo, laxantur omnia corporis vasa tam interna, quam externa, per sudoris fotum, unde crisis magis absoluta reddita sit.

Nec desunt observationes, quibus profectò sancitum est, hujusmodi morbos rarissimè sine sudore aliquo integre judicatos fuisse.

Praeterea etiam in iis supra recensitis, adductâ, ut notavi, excretionum ope, naturae levitatione quâdam, crisis deinde semper fere largis sudoribus absolvitur, modo perfecta fuerit.

Pag. 11. l. 10. *Hanc ita promovere.*] Ad materiae morbidae expulsionem rite promovendam haecce sunt in primis observanda; scilicet, si quolibet febris tempore acciderit exinanitio per alvum, sudorem, &c. non statim cohibenda est, priusquam patebit, an aegroto ex usu fiet necne, & tum quum ejus ope melius se habeat aeger, aut leventur symptomata urgentia, sinenda est, praecipue, si copiâ idoneâ procedat, sin minori quam fas sit, adjuvanda. Si verò copiâ tali fiat, aut tam diu cursum te-neat, ut inde exhaustantur aegri vires, neque

A 3 le-

levantur inde symptomata , quin potius inducantur alia , debilitatem nimiam ostendentia , vel omnino sistenda , vel inter limites debitos cohibenda est.

Si verò accedentibus signis criseos , talia supervenerint symptomata , ut ab eorum vi metuendus sit morbus periculosus , priusquam fiet expurgatio critica , uti sunt apoplexia , peri-pneumonia ; pleuritis , dysenteria , phrenitis , sputum , vomitusve sanguinis , aliave similia , statim mittendus est sanguis pro ratione symptomatum , & si inde brevi non levetur aeger , ea facienda , quae postulent morbi instantis genus & constitutio , quippe tali casu plus justo viget febris , & proinde crisis non impediunt , quin potius eam ita accelerant hujusmodi exinanitiones ; ut dein ea ipsa res , quam cum in paroxysmis intermittentium , tum remittentium , aliarumque febrium inordinate exacerbatarum expetivi , plerumque contigit . Porro his ita se habentibus , si calor febrilis cete aridâ aut siccâ sociatus , valde urgeat , statim pro virium ratione mitteendus est sanguis , & quod in maximo est desiderio , profectò paulò post erumpet sudor criticus .

Pag. 11. l. 18. *Optabilem morbi solutionem efficiunt sudores .] Sudor spontaneus per totum corpus diffusus , & pulsus valido & aequali comitatus , bonum portendit , vel enim morbi finem vel paroxysmi particularis crisis plerumque denotat . Sudores autem ex parte distributi &*
pul-

pulsu debili conjuncti nil boni denunciant, sed semper suspicandi, fiunt enim vel a debilitate, vel putredine, aut utrisque simul. Sudores porro universales cum pulsu debili, inaequali, vel intermittente raro levamen afferunt, sed saepius mortem praesagiunt.

Pag. 11. l. 19. *Secundum illos alvi.*] Diarrhoea critica p[re] caeteris hujusmodi exinanitionibus, copia, & diurnitate, justam medietatem excedere solet, eo quod ab acri materia per totam fere longitudinem irritantur intestina, & una cum faecibus excernitur etiam mucus intestinorum, unde plus justo protrahitur diarrhoea. In caeteris autem, postquam a glandulis excretio facta est, cessat plerumque stimulus. Alvinam itaque excretionem diu durantem semper suspectam habere debet medicus.

Pag. ead.l. ult. *Corpus in integrum restituunt.*] Hae tamen crises, quibus per abscessum, aut tumores varii generis, terminantur morbi febiles, semper aliquid incerti in se habent.

Fiunt praecipue iis vero aegrotis, quibus una cum febre adjuncta fuit partis singularis inflamatio, sicut in anginā, ubi pone aures fiunt hujusmodi tumores. Haec tamen critica materies nunquam repellenda, sed plerumque suppuranda & more phlegmonis curanda est, modo ejusmodi sit generis, & dolorem excitet, aut ad apicem vel suppurationem tendat. Pari-

prorsus ratione, si acrioris & tenuioris sit naturae, & ad erysipelatis speciem pertineat; fatus emollientes & anodynī, cataplasma & linimenta similia cum lenissimā alvi purgatione adhibenda sunt.

Et ob hanc causam non ab re erit monere, quod si pituitosae aut hydropicae fuerit indolis, qualis foeminis, virginibus, leucophlegmatiā, aut menstruis inordinatis, vel suppressis, laborantibus, senibusque cachecticis, asthmaticis, aut ad hydropem tendentibus, aliquando accedit, pro virium ratione instituenda est alvi purgatio, & simul corpori laxo, roborantibus atque calefacientibus quae vulgo cardiaca dicuntur, subveniendum est, & hoc nimirum aromaticis lenibus, & non raro chalybeis medicamentis optime fit.

S E C T I O I I I.

De febribus continuis.

Pag. 13. l. 8. *Et primo quidem.]* Praetermissis hoc modo morbi curandi signis propriis & definitis, quibus ejus natura, constitutio & vires rite cognosci queant, omnis ad ejus sanationem festinatio praeceps videatur, & periculosa; de his enim, tanquam de morte hominis arcenda vix fieri potest ulla nimis longa cunctatio. Pigeat equidem, sit tamen lectori & mihi

mihi fas animadvertere , tantum virum in arte medica , tantamne rem tam negligenter egisse.

Prima enim mihi debet selecta morborum signa tradere , quisquis ille est , si modo est aliquis , qui medici nomen pretiumque meritò nancisci speret , cupiatve.

Scientia haecce est quasi artis medicae *τέχνη* ή *φυσική*. Alia tutā medendi principia non agnoscō , neque alia reperies , quanquam tibi omnia sint arcana , quae olim possidere jačitarunt Paracelsus , ejusque seftatores gloriosi , aut quae adhuc jačtent circulatores hodierni , de remediis specialibus non minus impudenter clamitantes.

Febres autem continuae a talibus causis obortae , quales antea plus aut minus praeter consuetudinem in corpore extiterunt , incipiunt oscitatione & pandiculatione , frigore , horrore , & rigore ; antecedentia haec symptomata , pede non claudio , plerumque sequuntur nausea , vomitus , dolor capitis , sitis , calor pungens , & acutus , pulsus velox , nunc fortis , nunc naturali debilior , semper tamen velocior.

Hae febres gravi etiam dolore , & lassitudine membrorum quasi defatigatorum saepissime comitantur , & sanè pro hujusmodi symptomatum ratione , praeципue rigoris , lassitudinis , & doloris capitis & membrorum , plus minusve periculi secum afferre & faevire dicantur.

Pag. 13. l. 10. *Sanguinis detracatio.*] Si in febris initio advocatus fuerit medicus , de quā ,

A 5

vel

vel a constitutione epidemicā , vel a symptomatum saevitia , quae proximè recensūi , eam ad febrem continuam vergere aequa adsit suspicio ; sanguinis missione plerumque incipendum est , etiamsi ex pulsus tenore vix indicari videatur ; & praesertim ubi viris & juvenibus aliquid tale contigerit , eo quod a vi febris stimulantis , sensim ingravescunt symptomata , si ne hac cautione vix postea cohibenda ; deinde si urgeant vomitus vel nausea , ventriculum leni emetico eluere oportet , nisi vexet dolor capitis ; verum ubi ita sit , alvum clystere laxare , omnium optime voto in primis conveniet , & si adhuc urgeant praedicta symptomata , post aliquas horas vomitus eliciendus est , & hoc finito dandum est medicamentum anodynum . Postero die , si nihilominus remaneat dolor capitis , adsitve febris magna cum calore acuto , sanguinis missione illoco repete fane opus erit . Postea vero foliis senae , aut radice rhabarbari , chrystallis tartari , tartaro solubili , manna , & similibus , leniter ducenda est alvus , & vesperi repetendum est medicamentum anodynum .

Si ex horum usu modice se tandem habeat febris , per dies quosdam tentanda est curatio , more remittentis anomalae , cuius medendi rationem posterius videbimus ; donec appareat , an in legitimam convertatur , vel expectanda sit crisis .

Si vero adhuc crescant symptomata , praecipue dolor capitis , inquietudo cum pulsu forti , du-

durove, urinâ rubrâ . sedimenti experte, repe-
tenda iterum est sanguinis detractio; rarus au-
tem tertia venarum incisione locus est; nisi si-
mul adfuerit partis cuiusvis inflammatio, aut
dolor pertinaciter acutus, & dein remediis, an-
tiphlogisticis dictis, scilicet, quae sanguinis
fervorem & impetum nimium minuere & re-
primere valeant, pergendum est; donec ex
mutatis symptomatibus, vel crisis adventu, aliam
curationem postulabit morbus.

Si vero vel ex natura febris epidemicae, ab
exinanitione nimis magna, vel mitiori diu pro-
tractâ, aliâve aliquâ de causa supervenerint
symptomata praedictis contraria; qualia sunt
pulsus frequens & debilis, urina tenuis absque
sedimento, sudor glutinosus, subfrigidus, spi-
rituum languor, aegritudo, tremor, tendinum
subsultus, aliaque similia; in quocunque morbi
tempore, inquam, haec acciderint, aut qua-
liscunque fuit ratio medendi praegressa, febrem
continuam mali moris adesse ostendunt.

Idecirco statim exhibenda sunt stimulantia &
calefacientia quaedam, cardiaca & alexiphar-
maca dicta remedia, simulque si res ita postu-
lent, vesicatoria admovenda; quae omnia pro
ratione debilitatis & symptomatum importune
urgentium plus minusve in vota vocanda sunt.

Restituto autem, hoc modo, febris vigore
satis congruo, in eo persistendum est, prout
opus fuerit, donec vel crisi finita sit febris,
vel symptomata mutationem subeant, & dein
pro horum varietate tractandus est morbus.

Finitis his febribus continuis, lac asinimum per longum tempus afflendum est, semper enim debilitatem & acrimoniam notabilem post se relinquunt hujusmodi morbi.

Pag. 13. l. 15. *Sanguis pro ratione virium mitendus.*] In omnibus hisce febribus, dolore magno aut inflammatione comitatis, purgationes modicae simul per alvum factae raro malum inducunt; modo debita copia liquidorum tenuium repleantur vasa, nisi vel laborent intestina, vel tali copia fiant, ut inde nimis exsicetur sanguis.

Pag. ead. l. 18. *Si infirmissimae videantur.*] In febribus languidis exinanitiones largas male ferunt aegroti, praecipue eas, quae prae caeteris debilitant, quales sunt largi sanguinis & alvi fluxus.

S E C T I O I V.

De febri cum exanthematibus conjuncta.

Febris miliaris.

Pag. 14. l. 18. *Accedunt non raro delirium.*] Hujusmodi febres non raro etiam vertigine incipiunt, hinc non temere creditur materiam aliquam pravam cerebrum & nervos afficientem ple-

plerumque adesse; quae, ut plurimum elapsis diebus aliquot, eruptione aliqua, exanthematicum more se manifestat. In his itaque paulisper expectandum est, neque alia facienda, quam quae ad symptomata praesentia allevanda necessaria sint; donec qualis futurus sit morbus, certius pateat.

Pag. 16. l. 9. *Maxime autem per intestina.]* Non in his solum sed in omnibus fere febribus, si diu duret morbus, neque multum increscat, aut minuatur, nullis vel levibus apparentibus solutionis signis, alvum laxare convenit, & saepissime haud multo post febrem judicari expertus sum, sin autem praeter spem eveniat, paucis diebus iterum tentanda est modica alvi solutio, dato tum post hanc tum priorem vesperi medicamento anodyno.

Pag. ead. l. 11. *Commode laxabuntur.]* Hi enim aegri, optimo cum successu, idoneis medicamentis per alvum purgantur, hanc autem exinanitionem, post aliquos dies, pro virium ratione, repetere oportet, siquidem ex hoc medendi modo has febres protinus discussas, vel certis intermittentium terminis circumscriptas fuisse, non raro comperi.

Aliquando autem accedit, quod non obstantibus hujus generis remediis, diu manent hae febres exanthematicibus conjunctae, neque crisi finiuntur, neque in remittentes vel intermittentes desinunt; hisce igitur aegris ex magno usu erit,

erit, lac asinimum exhibere, interpositis simul remediis modice cardiacis & deficientibus.

Victus interea, pro vario gradu vigoris aut languoris, plus minusve instaurans aut debilis esse debet, semper tamen humidus, levis, & ad concoquendum facillimus.

Pag. 16. l. 16. *Quae malignae dicuntur.]* In his & ejus generis febribus putridis dictis, ob fibrarum habitum laxatum, & nimis tardum fluidorum motum, excernitur fere quotidie per sudores pars quaedam materiae, quae, eā tandem copiā, licet sensim, excreta est, ut restituto, gradu quodam, fibrarum vigore, reliquam subjugat vis vitalis; ex quo non rarò evenit, ut sine crisi aliqua notabili paulatim indies convalescit aegrotus. Idcirco in hujusmodi febricitantibus pedetentim perficitur, quod robustioribus, uno quasi impetu, absolvitur.

Pag. ead. l. 19. *Aphthae palatum atque os totum occupant.]* Cognoscantur aphthae ulcerulis parvis, fauces, labia, & os internum ob-sidentibus, praecedente dolore cum pondere & anxietate ad stomachi regionem, comitante febre semper febria languida aut intermitte.

Pag. ead. l. 22. *Si albidae.]* Aphthae paucae, solitariae, in labiis primo apparentes non a gula in os & fauces procedentes, pellucidae instar margaritarum, cito decidentes, neque iterum recrudescentes, boni sunt moris, & sanitatem

nitatem promittunt. Illae vero, quae admodum candidae, & nequaquam splendidae, sed opacae sunt, & a gulâ lente ascendunt, & porrigitur, donec oris interni partes omnes plus aut minus tegunt, mali sunt moris, semper fere se renovant, & raro sanantur tales aegri. Gangraenae enim indolem in se fovent, dantur quippe albae, aequæ ac nigrae gangraenæ.

Pag. 16. l. 25. *Nigrae exoriantur.*] Pari ratione aestimandæ sunt aphthæ fuscae, lividae, saniem putrem, tenuem, rubellam, tum vasa exedentem, tum humores corruptem, effundentes. Hæc enim gangraenam adesse, certò & mox lethalem futuram denunciant.

Pag. ead. l. 28. *Gargarizationes fieri debent.*] Si doleant admodum fauces, praeter gargarizum in usu apud auëtorem fiat eclegma molle, oleosum, vel potius mucosum, aliud lve simile.

Quamvis Hermannum Boerhaave pro meritis, in arte medica, fatis laudare vix possibile est, medendi tamen ratio, quam in salutem & commodum aegrorum hoc morbo laborantium consuluit, aliquam animadversionem hoc loco desiderare videtur. Suadet enim inclytus ille medicus, ut aegri aphthis vexati in balnea tepida ex emollientibus, & praecipue cum lactis vacini tertia quartâve parte parata, demittantur, fotusque similes abdomini applicentur.

Haec quidem morbis quibusdam chronicis
com-

commode fieri possunt, vix tamen talia utenda sunt remedia in febribus illius speciei & moris, quibus, praे caeteris morbis, in hac regione aphthae se comitari ostendunt.

Pag. 16. l. 31. *Neque enim reprimenia.*] De-
cidentibus autem crustis, ne iterum renascan-
tur, tangantur partes cum melle rosarum spiri-
tus vitrioli fortis, vel salis marini guttis per-
paucis adjectis, vel hoc parum proficiente,
cum sequenti mistura.

R. Elix. Aloës mell. rosac. ana 3ii. acet. de-
stillati guttas triginta unguent. aegyptiac. ab
granis quinque ad viginti. m.

S E C T I O. VI.

Erysipelas.

Pag. 20. l. 9. *Per modum crīsis.*] Apparēn-
tibus sponte exinanitionibus, an criticae futu-
rae sint, necne, plerumque dignoscere difficile
est, nisi per effectus, lucem tamen non levem
afferunt, quae de instantis crīsis signis, jam
alio loco tradidi. (Vid. Not. ad Pag. 11. l. 1.)
Hae enim excretiones plerumque cum impetu
flunt, maxime vero in robustis habitibus.

Pag. 20. l. 17. *Finem de febribus malignis.*]
Mirum interea videatur febrium quarundam ma-
ligna-

lignarum & contagiosarum historiam & curationem tam brevi narratione expeditam fuisse ; & haud dubito , quin permulti lectores mecum censemunt , auctorem sat bene meruisse poëtae sententiam . „ Brevis esse labore , obscurus fio . ”

Idecirco si Deus det vitam , si medicinae professores favens dent hujus operis judicium , in animo habeo auctoris nostri librum de variolis & morbillis edere , ubi adjunctis simul notis & observationibus , illuc deferam quicquid de hisce & de febribus malignis ex putrido fomite plerunque ortis monendum habeam , quicquid insuper instituti ratio tum simul postulare videatur animadvertisendum , tam de veterum , quam recentiorum (*) scriptis , quatenus ea ad hujusmodi res pertineant , quae etiam nunc , uti & olim , cuivis medico , legere quid miri appetenti , nova quamplurima à quibuslibet undecunque arcessita , ad satietatem usque praebebunt .

SEC-

(*) E. G. Palmarius *de morbis contag.* Sorbait. univers. medecin. & consil. medic. Werlhoff *Disquis. medic. de Variol.* &c. Schreiber *de Pestilentia* , Plague no contagious disease. Lobb *on the Plague and contag. Distemp.* Perry *on the Small-pox.* Town and Hillary *on the diseases of Barbadoes and the West-Indies* , &c. Chirac *Traité des Fièvres malignes.* Pringle *Observ. on the Diseases of the Jail and Army* , &c.

S E C T I O V I I .

*De Febribus singularibus.**Pleuritis.*

Pag. 21. l. 22. Pleuritis.] Occupat hic morsus tum omnia thoracis interni velamina, tum praesertim musculos intercostales; quocirca dividitur a practicis in pleuritidem veram, & notham, videlicet prout interna velamina, vel hos musculos aggrediatur, distinctione non admodum utili, rariissime enim sola afficitur pleura, at longe frequentius musculi intercostales, quod a dolore, quoties aëris spiritu ductus est, valde aucto, & cadaverum dissectione confirmatum habeo.

Nec minus in humidam & sicciam facta est divisio. Illa ponit materiam pituitosam, sanguineam, vel purulentam per tussim rejectam, & proinde pulmonem simul affectum. Haec dolorem, vel sine tuisse, vel tussim exscrectione liberam pro certo statuit. Dividitur etiam in lateris dolorem sibi proprium, Idiopathicum dictum, & Symptomaticum. Prior est illa hujus morbi species in cuius naturam jam inquirere lubet. Posterior ponit translationem materiae cujusdam acris, purulentae, aut ulcerofae in pleuram, aut partes vicinas.

Oblata autem hac occasione, sit mihi aequa poter-

potestas dicendi, gradum inflammationis & doloris praecipuam esse regulam, quâ, tam in huc morbo, quam aliis omnibus inflammationibus, seria à frivolis, notatu digna ab indignis, dijudicanda & distinguenda sunt. Ideoque missis distinctionibus inutilibus, de pleurite vere inflamatâ, jam pauca monenda sunt.

Haec juvenes & viros robusti & sanguinei corporis habitus prae caeteris aggreditur, & hoc maxime tempore verno, dum redeunt jam gramina campis, vel hyeme, dum rura claudit gelu, & proinde quidquid vel sanguinem, seu in pleurae, seu membranarum quarundam costis contiguarum, seu muscularum intercostalium vasa arteriosa, modò singulis, modò pluribus, ex praemissis respondentia, majori impetu, aut copia, quam par est, impellit, vel haec vasa nimis coarctat, in causa esse potest, cur aegroti hoc morbo torqueantur, vel recidivum patientur, quae causae, cum innumerae fere sint, hoc loco recitare non convenit.

Incipit autem hic morbus, plerumque à friore & rigore, & cognoscitur adesse quando aeger laborat lateris dolore acuto, pungente, lacinante, spiritus hauriendi, potius quam reddendi vel retinendi difficultate, conuncto, nec non & febre acuta, & cutis siccitate, pulsu duro, sociatis. Adebet etiam plerumque tussis dolorem summè augens, unde tussim suffocare conantur aegroti.

Durities autem pulsus in hoc, ut in aliis omnibus morbis, acri dolore comitatis, non

B 2

tan-

tantum ex iectus vigore, sed etiam, idque quam maxime, ex astricto ipsius arteriae, & si ita dicam, chordae tenuis tensae simillimo statu, dignoscenda est.

Pulsus enim non semper magnus & validus est cum durus, sed saepe parvus, ob respirationem non satis liberam; sanguinem tamen nihilominus mittere opportet, ut respiratio liberior fiat, quo facto, brevi saepe fortius vibrat arteria.

Quamdiu enim in hoc morbo pulsus Magnus & durus adsit, licet dolor urgeat, spes jubet esse bonas, cum verò mollis fiat, nec multum caleat, nec melius se habeat aeger, metus maximi periculi portenditur, eo quod plus plusque impeditum ad iter faciendum per pulmonem redditum esse sanguinem liquet.

Pag. 21. l. 23. Quantum opus est sanguine.]
Nihil aequa clare vel missionis sanguinis necessitatem, vel quantitatem detrahendam demonstrat, ac ipse dolor respiratione difficii sociatus, ubi enim vel ambo conjungantur, vel alteruter multum laboret, detractione sanguinis certo requiritur, imo, ut verbo quasi dicam, vix a scopo optato aberrabit medicus, si sanguinem ad prima signa defectus animi fluere curaverit.

Praemissis autem venarum in brachii incisionibus repetitis, saepe mihi contigit observare, pleurae dolores sanguinis detractione ex Saphaenâ magis leniri, quam cædem operatione in bra-

brachio institutâ ; quocirca fortiorem à parte dolente derivationem , à quibusdam revulsione dictam , inde suspicatus sum , cuius haec ratio esse videtur forsan non improbabilis , nimirum quod arteriae intercostales ab Aorta ascendentे oriuntur .

Raro autem quantitate huic morbo debellando sufficienti à pede detrahendus est sanguis , & proinde convenit primo , vel vena mediana , basilica aut cephalica incisis , ejus copiam generatim minuere , & dein derivationis seu revulsionis gratia , sanguinem ex saphaena sigillatum detrahere .

Pag. 22. l. 2. *Ad sanguinem in canaliculis suis hærentem solvendum.]* Frustra in morbi initio exscretionem inducere conemur , etiamsi simul afficeretur pulmo , & multo magis in vera pleuritide , cui vix unquam quovis morbi statu , datur talis expuendi aut expurgandi locus .

Pag. ead. l. 5. *Emplastrum vesicatorium lateri.]* Longa autem me docuit experientia , alias quascunque exinanitiones , vel arte , vel natura factas , spes meas perpetuo fefellisse , nisi sanguinis missio larga , & pro gradu mali repetenda , prius instituta fuisset .

Profecto igitur flocci facienda sunt , quae de resolutione , beneficio naturae , de sudoribus provocandis , aut salibus , oleisve glutinosam crassitudinem humorum solventibus , exscretionem promoventibus , aliisve ejusmodi

B 3

nu-

nugis olim jactitaverint aut hodie adhuc jaecti-
tent pharmacopolea ignari, medicique timidi
& inexperti, aut denique *Plani*, improbissimi
pharmacorum specialium venditores, quaestu-
turpissimo pasti.

Pag. 22. I. 11. *Sub finem autem morbi remit-
tente jam inflammatione alyum laxare oportet.]*
Moderata per alyum purgatio saltem in habitu
corporis calido & sanguineo, de quo hic agi-
tur, non nocet, licet sub initio vel arte insti-
tuatur, vel sponte à natura superveniat, ut ut
aliter sentiant mulierculae aniles, medicamen-
tarii, & id genus omnes, qui hoc symptomate
atteriti, statim restringentia & opium sinistro
fere fato aegris exhibere soleant.

Pag. ead. I. 17. *Eveniat abscessus purulentus.]*
Hujus morbi duae sunt species, verbi gratia,
primo cum in vera pleurite pars dolens pu-
trescat, & fiat abscessus, vel in musculis in-
tercostalibus, vel inter hos & pleuram, se-
cundo, cum ruptâ pleurâ pus in cavum thora-
cis fluat; unde empyema.

Pag. ead. I. 20. *Ulcus autem per totam vi-
tam.]* Non raro etiam iis aegrotis accidit,
quibus pulmo, propter ejus ad latus adhaesio-
nem, una cum pleura, simul afficitur, finitam
sanguinis exscretionem furtim subsequi puris
sputum. Hi plerunque tabidi moriuntur, sal-
tem nisi cito liberetur pulmo, quod tentari de-
bet

bet victu, & medicamentis blandis & demulcentibus, Antiphthisicis dictis, interpositis simul iis, quae tussim leniter proritent, maxime mane, ut pus nocte collectum quotidie educatur, vesperi vero anodyna, caute & parca manu exhibere oportet, & quoad caetera, ut in phthisi procedendum est.

Abscessus autem jam facti signa sunt, horror saepe revertens sine causa manifesta, doloris remissio manente dyspnoeā, malarum rubor, sitis, febricula sub noctem aucta, pulsus debilis, mollis, frequens.

S E C T I O V I I I .

De febribus intermittentibus.

Pag. 22. l. ult. *Febrem intermittentem.*] Febris intermittens simplex se adesse indicat redintegratione frigoris, horroris, & tremoris certâ quadam horâ, quibus superveniunt pulsus creber, & aestus febrilis, siti, calore, dolore capitis & lumborum, &c. plerumque comitati. Haec autem horis quibusdam ita se continuant, ut citius vel serius pro morbi genio succedat crisis, maxime per sudores, non vero semper; aliquando enim eam per alvum, vel urinæ vias factam novi. Urina sub paroxysmo reddita, plerumque rubra est, & vix faeces

B 4

de-

demittit, eo vero finito, sedimentum ingens lateritium deponit.

Vult Mortonus, aliique multi medicinae scriptores, sedimentum hoc lateritium esse definitum & perfectum intermittentium signum, *Diagnosticon dictum*; quod veritati minime consentaneum est.

Novi enim aliquos homines habitu sanguineo praeditos, qui integra fruentes valetudine, talem reddebat urinam, praecipue post corporis exercitationes, levemque defatigationem. In morbis scorbuticis etiam, nec non & in hydropicis tale lotum saepe reddunt aegroti; praesertim quibus corporis constitutio biliofa, calidave sit.

Fidissimum itaque, febris intermittentis signum, ut opinio mea fert, est paroxysmus cum *hac urinae specie & conditione*, aliisque propriis suis rebus ordinatim circumstantibus, certâ quadam horâ, sine causa manifestâ recrudescentes, quae hujusmodi symptomatis ortum praebeat.

Pessimum enim in errorem similitudine rapiuntur medici, dum dolores verâ inflammatione conjunctos, qui vesperi, aut scorbuticos, qui nocte plerumque increscent, intermittentium more curant.

Hujusmodi autem dolores neque horrore, oscitatione, pandiculatione & frigore aequem comitantur, ac febres revera intermittentes, quae cum his signis non vesperi modo, sed

qua-

quavis alia diei noctisque parte, pro ratione paroxysmi praegressi redeant.

Haud immerito quoque istud adhuc magni admirandum videatur, quod in omnes valetudinis infirmitatis facies se transformare queat hic morbus, Protea aemulari studens, easque simulat, tam quas acutas, quam chronicas non minarunt auctores, maxime vero priores; quo casu curandus est morbus, ut morbus simulatus curari debeat; deinde postquam à recrudescente paroxysmo, aliisque signis propriis, palam se fecerit intermittens, cortice Peruviiano oppugnandus est.

Unum proferre, quod ad hanc rem pertinet, exemplum, sat erit; nimurum, si formâ cephalaeæ acutæ appareat morbus, missione sanguinis in primis, prout vires aegri ferre poterunt, dein salibus resolventibus, quae calorem minuant, & potionibus blandis, quae humores attemperent, prosequenda res est; usque dum per signa morbis intermittentibus assueta, & praecipue dolorem statu tempore sine causâ manifestâ recrudescentem & definentem more paroxysmi, quandam certi ordinis febrem respicientis, pateat ejus species vera, & tandem larvâ excussâ, sine morâ, malo sincero occurrentum est, & antidoto Peruviano profligandum.

Pag. 22. l. ult. & pag. 23. l. pr. *Cortice Peruviiano discuti posse.*] In febris intermittentis simplicis curatione, praecipue per pensa & ex-

B 5 plorata

plorata habenda sunt imprimis vehementia & tempora paroxysmi & *απυρεξίας*, deinde quomo-
do fese finiat paroxysmus, an scilicet sudore,
diarrhoea, &c. nec non an citius vel serius re-
vertat; si enim post singulos accessus serius
redeat, vel sponte brevi desinet, vel facile
sanabitur, si vero citius, quotidie increscit,
& ad febrem continua vergit morbus.

Pag. 23. l. 1. *Eliciatur vomitus.] Praeci-
pue si adsit nausea, vel vomendi conatus.*

Pag. ead. l. 30. *Eandem tenui medendi viam.]*
Rhabarbari & corticis Peruviani virtutes unitas
merito celebravit, autor, nihilominus acci-
dit aliquando magnam curationis spem elusisse
istiusmodi consortium. Cum in tali igitur lo-
co res sit, experientiâ comprobavi, ut ad
omnes rhabarbari partes feliciter valeret massa
quae habet pilul. Ruf. Cinnab. antimon. à 3fs.
Sapon. amygdal. 3iiss. Syrup. croc. q. s. m.
f. massa, cuius exhibeantur pro re nata, viginti
vel triginta grana.

Pag. 24. l. 5. *Iterati in eundem lapsus.]*
Si autem ob frequentes febris redintegrationes
multum debilitentur vires, & hydropicus vel
cachecticus sit aeger, valentiora plerumque re-
quiruntur medicamenta, quocirca ad recidivam
praecavendam cortici addatur chalybs, nec non
& aliquod ex herbis, & radicibus, quae ama-
ris, aromaticis, & diureticis polleant viribus.

Prae-

Praeterea haud minus hujusmodi aegris conductit equo provehi, & aestate, balneo & aquis frigidis uti, interpositis pro re nata medicamentis vomitorii, vel si opus sit, catharticis idoneis.

Denique pro normâ certissimâ a medico habendum est, se numquam credere aegros, quos consuetudo in febrium intermittentium crebros recursus adduxit, ex toto, aut integre sanatos, quamdiu sudore glutinoso diffluant, vel ad minimam corporis exercitationem fudent; utpote ex solo hoc symptomate, conjecturâ fatis probabili colligi potest, sanguinis circuitum justo segniorem & corporis compaginem naturali multo debiliorem esse. Duplex autem hoc vitium sanat cortex Peruvianus cum chalybe compositus prae caeteris omnibus remediis.

Pag. 24. l. 15. *Specimen praebant.*] Cujus rei indubitatum testimonium proferre libet. In phthisi scilicet aliisque morbis interno ulcere comitatis, vesperi recrudescit horror, dein calor, quo per noctem excruciantur aegri, & mane sudore terminatur talis paroxysmus.

Hic vero morbus non est febris intermittens, de qua hic agitur, sed ortum habet ab acri putridaque materia in venas absorpta, neque cortice Peruviano, illove medicamento, quod adversus hujusmodi febrium accedentes & recurrentes horrores traditur esse in hodierno usu, & bona existimatione, sanandus est, nisi sanato morbo primigenio.

Pag.

Pag. 24. l. 22. *Efectum non sortiatur.*] Imo contra expectationem omnium aliquando accidit, ut assumpto cortice Peruviano superveniat diarrhoea, quo casu exhibeatur vomitus ex ipecacoanhae radice, & post alias horas immittatur clyster ad hunc modum praescribendus: Rx. Cortic. Peruvian. pulv. 3ss. aquae communis 3x, coque ad partes dimidiis & cola, dein postquam refixerit liquor addetur. cinnamom. 3ss. electar. e scord. 3iii. m. & si adhuc remaneant febris & diarrhoea, repetendus est clysteris usus, pro hanc ratione, tertia scilicet vel quartâ quâque horâ. Hoc enim medendi modo, irritis aliis quibuscumque, pessimas intermittentium species fanatas expertus vidi.

Pag. 25. l. 16. *Haec tertio quidem die revertitur.*] Haec febris incipit plerumque oscitatione, pandiculatione & laßitudine membrorum, quibus succedunt horror, rigor, calor, sitis, dolor capitis, dorsi, aliarumque corporis partium, lingua nunc alba, nunc flava, urina, pro gradu febris & vigore pulsus, plerumque plus minus rubra, nunc sedimentum deponens, nunc cruda, nunc turbida manens. More autem intermittentium distinguitur, revertentibus eodem modo paroxysmis, hoc tantum cum discriminé, quod haec febris per decessiones tantum molliatur, nec unquam corpus dimittat, sed aliquando statis, aliquando incertis temporibus, vi intensiori revertat:
In-

Interea tamen notandum est, ut intermittentis more, crisi quadam finiatur paroxysmus, febre adhuc continuatâ, licet mitiore.

Haud multum equidem inter hunc morbum & febrem continua synochum dictam interest, & in hanc regimine nimis calido saepe convertitur; e contrario, habitâ aptâ attentione ad rectum virium circulantium gubernationem, in intermittentem plerumque commutatur tum haec febris, tum ipsa synochus.

Pag 25. l. 18. Per accessionem occupat.] Ad intermittentium ordinem justo referri debet febris ardens, non minus propriam animadversionem desiderans, quam semitertiana; quippe alternis diebus, praecipue iis, quos impares nominarunt medici, exacerbatur, ab hemitritaea gradu quodam & siccitate majori tantum differt, postulatque eandem medendicationem, sed magis refrigerantem, humidam & temperatam; eo praecipue cum viros membris & mole valentes in laboriosis exercitatiibus multum & saepe versatos, aggreditur, quam denique rem fatis confirmant medicorum in multa saecula experientia.

Incipit enim febris ardens, ut semitertiana cum lassitudine, horrore, & rigore, quibus succedunt nausea, vomitus, calor maximus, & ad tactum fere urens, sitis inexpugnabilis, inquietudo, anxietas, & calor summus ad vitalia & praecordia, siccitas totius corporis, pulsus velox cum arteriâ tensâ chordam arc-

tam

tam & astrictam referente, muscularum tendines naturali tensiores, & duriores, respiratio densa, cito, lingua sicca, aspera, flava, fusca, nigra; tussicula, vox clangens, dolor capitis ingens, pervigilium, nervorum distensiones, phrenitis, coma.

Haec tamen omnia symptomata non omnem febrem ardentem comitantur, saltem in morbi initio, sed sensim augmentur tam numero, quam viribus, pro ratione continuationis & gradus morbi: semper tamen calor corporis siccus, urens, & ad praecordia ingens, sitis summa, & lingua sicca, aspera cum quietudine anxia, pulsu veloci, & arteriis fabricâ admodum tensâ & astrictâ notandis adsunt.

Haec febris p̄ae caeteris omnibus caput afficeret solet, unde fiunt dolores, vigiliae, delirium, furor, phrenitis, & similia.

Pravam hanc cerebri affectionem prope adesse, satis certa notitia venit medico, si progrediente morbo quaedam ex his aut consimilibus signis sese prodant; scilicet, si aeger creberrimo mingendi conatu labore, perpauam tamen tenuis urinae copiam singulis vicibus reddat, si arrepta ejus manu eam subducere moliatur, si, quae dixit, sibi ipsi illico fere oblita sint, si respiratio antea cito, mox in profundam & tardam mutari incipiat, si oculi tristes, luctuosí, cum scabra Forditie pulverulenti, semiaperti, aut torvi videantur, si ex his lachrymae sponte stillent, nec ad can-

canthos versus, eant; quibus omnibus illud etiam accedit miserandum, quod haec symptomata aegrum excruciendo, eum minime tractabilem reddunt, & sanationem maxime impediunt: Quocirca studiosè adhibendae sunt cautio & provisio, ut quantum fieri possit, evitentur hujusmodi incommoda.

Huic autem fini consequendo nihil aptius reperitur, quam morbi curationem in primis aggredi missione sanguinis largâ, mox pro virium & symptomatum ratione repetendâ, remediis dilutissimis, refrigerantibus, & relalentibus à capite, ab ipso morbi initio. Crura igitur aquâ tepidâ bis terve quotidie, si liceat, genua tenus immergere, ex magno usu erit, & hoc finito cruribus & pedibus adhibendum est cataplasma emolliens.

Talis autem medendi modus, etiamsi rationi maxime congruus, rarissime à nostratis tentatur, & medicum, qui hujusmodi auxilia praeceperat, se ludibrio intempestivo exposuisse mihi vidisse contigit.

Veteres interea medici pullos juniores, columbas, & similia animalia dissecabant, & adhuc calentes plantis pedum admovebant, ut spirituum animalium tumultus compescerent, & impetum a capite revocarent; quod excusso & explorato consilio utiliter ab iis factum erat, plus tamen humectat & revellit medendi ratio supra proposita

Recentiores autem theoriae attractionis falso fidentes, emplastris acribus & vesicatoriis irritant-

ritantibus, non solum hoc frustra, sed quod multo pèjus est, id semper maximo certe cum aegrorum damno efficere conantur, nisi constet plane ex languore & debilitate tantummodo stagnare humores.

Propter eandem etiam rationem eas exinanitiones promovere convenit, quas cum utilitate in seipso experiri solebat aegrotus, dum sanus fuit, cujuscunque fuerunt generis, modo ad revulsionem à capite & praecordiis conducederent. Artis igitur praecipuum erit opus, ut sat copiosè fluat sanguis vel e naribus, eas irritando fetis, vel ex haemorrhoidibus, impetum sanguinis deducendo suetu hirudinum; vel denique in foeminis ut fluant menses, si tale quid ardens acciderit, laxando vasa uterina emolliente cataplasmate, ut eò derivetur vis sanguinis. Hoc autem stimulantibus calidis, emenagogis dictis, minime tentandum, quippe ejusmodi medicamenta in hoc morbo exitiosa sunt.

Pag. 26. l. 2. *Exoriri videtur.*] Haec febris difficultis inde non raro est curationis, medias enim partes inter synochum febremque intermittentem tenere videtur, ideoque medendi rationem magis temperatam, quam in intermittente simplici, minus vero quam in synocho, ut plurimum postulare solet, & sedulo observare, debet medicus, tam accidente morbo, quam toto progrediente ejus cursu, an nimio impetu ferantur humores, nimisque vigeant, vel languescant vires.

SEC-

S E C T I O X.

De febribus lentiis, sive hecticis.

Pag. 28. l. 17. Tot habent causas.] Ex tribus tamen praecipuis causis ortum ducunt hae febres lentae hecticae dictae. In primis hic morbus oritur ab omni causa, quae transitum sanguinis per pulmonem ita impedit, ut ibi in materiam purulentam convertantur obstructa, quales sunt tussis diurna, pleuritis, peri-pneumonia levis, pulmonis strumae, febres omnes, acrimonia omnis generis vascula tenera corrodens, & sputum sanguinis inducens, plethora, aetas juvenilis calida, praesertim ab anno aetatis decimo sexto ad trigesimum sextum, exercitationes violentiae, cantus, clamor, & infinita alia, quae pulmonem inficiunt, calefaciunt & fatigant, sed praeceteris, ipsius corporis forma, ex qua profecto evenit, ut vis major in respiratione pulmoni incumbat, & simul desit explicationi locus. Consistit hoc in collo longo, thorace plano & angusto, & scapulis depresso; quibus, si accedat color candidus cum cute quasi pellucidâ, rubor vegetus in malis, sumnum inde tabis est periculum.

Constat autem inter omnes, hunc morbum ulceræ omnia, praecipue interna comitari, quippe in his materia purulenta propter vaso-

C. rum

rum laxitatem, puris retentionem, & partium contiguarum compressionem, majori copia in vasa absorbentia necessariò propelli debet: Quocirca praefente febre hecticā aliquid latentis ulceris suspicari nunquam non alienum erit.

Oritur etiam hic morbus ab acrimoniam quācunque, seu oleosa, salina, seu biliofa sit, postquam vel putrescere incipient humores, vel tanta iis inducta sit acrimonia, ut non solum nimis inde solvantur humores, sed & nervi insuper partium singularium motui sensuique servientes, irritamentis inordinatis & plus justo frequentibus obnoxii fiant.

Oritur & tertio ab exinanitione, raro vero, nisi simul adfuerit acrimonia, uti male iis aegris non raro evenit, quorum vires febribus acutis aut lentis jamdudum valde exhaustae fuerunt.

Pag 28. l. 22. *Exulceratione originem trahunt.*] Febris hectica ex hoc fonte derivata his signis se manifestat. Hujusmodi aegri pulsū celeri & debili, sitisque paucitate afficiuntur, mane plerumque algent, & languidi sunt, vesperi calent & alacriores sunt, eoque tempore praecipue calent, quo novus chylus cum sanguine circumfertur, tunc enim, praesertim si diu haeserit malum, rubent malae, & internae manus, primo mane autem dormiunt, & morbo indies in deterius mutato, tum etiam sudore liquefunt. Urina vesperi reddita,

durat

dum febrilis calor adsit, sedimentum non deponit, sed agitata in phialâ diu spumam retinet, finito vero, per sudores multâ jam nocte obortos, paroxysmo calido, sedimentum subalbidum, aliquando rubro flavum & furfuraceum, non raro & lateris contriti colori similimum, deponit. Postremo observatu dignum est, quod ipse cruor ex venis emissus nunc facie & compage mutatus, massae albae, durae, glutinis & corii instar tenacis, & resilientis, speciem variam pro vario gradu mali prorsus assimulat.

Pag. 32. I. 1. *Utilissimum esse balsamicis.]*
Mane plerumque rejicitur materies acris, tussim excitans, eo igitur tempore exhibenda sunt lenia balsamica, quae exscreationem promoveant, ut a retentis liberetur pulmo, non vero aliis diei temporibus, nisi ea copia congesta sit materies, ut mane haud idonea fiat expurgatio, quippe auctâ tuisse, augetur in partem affectam humorum fluxio & derivatio.

Ad ulteriorem autem in hoc morbo exscretionem promovendam, illud interdum ex magno usu venit, ut incumbat aeger pronus in largam pelvini aquâ calidâ repletam, ita ut vapores in pulmonem hauriat, hoc vero non proficiente, addatur acetum parva copia, & si haec omnia parum valeant, in usum vocare oportet acetum scilliticum. Ad eandem rem spectat spongiam aceto acerrimo calido vel aceto scillitico madidam naribus vel ori per

C 2 vices

vices admovere, ut pulmo vapores ad se attrahat.

Pag. 32. l. 18. *Praecipue in sanguinis sputo.]*
Rarissime, si unquam, in hoc morbi statu convenire possint haec aut consimilia medicamenta, quâcunque formâ exhibita, aliquando auctem cessaturo sputo, ea multum commodi adfuisse observavi.

Pag. ead. l. 19. *Exiguis autem his suppurationibus subjungendus videtur largior.]* Suppurationes, quae in pulmone fiunt, tam parvae, quam magnae, his indiciis, modo leviori vel graviori, pro gradu mali urgentibus, se palam faciunt, Dyspnoea cum tussis incremento vesperi & nocte praecipue adest, una, si aperatum sit ulcus, cum sputo crasso, glutinoso, subflavo, & purulento, nunc lineolis, guttisive sanguinis commisto, nunc absque his; fin vero in tunica concludatur, deest purulenta materiae exputio.

His in morbi progressu succedunt horror levis, inordinate recurrens, malarum rubor post pastum, calor urens & mordax cum pulsu celeri & febrili maxime vesperi, mane vero ad tactum frigus. In latus affectum sat comode decumbunt aegroti, in alterum vero moleste ferunt, saepe ne minimâ quidem ex parte pati possunt, eo quod tussis inde auctis viribus & dolore simul ponderoso quasi desuper impendente, ut plurimum comitata, aegrum inde-

indesinenter torquet. Possum quoque & illud animadvertere, quod latus affe^ctum altero plerumque calidius reperiatur.

Sub morbi progressum ingravescunt praedita, maxime vero sub poenâ motus spiritus difficilius trahitur, simul & increscunt tussis & calor he^cticus. His succedunt anxietas & molestia inexplicabilis per noctem, sudores mane ingentes, debilitas, macies summa, diarrhoea colliquans, crurum tumores, pruritus per totum corpus, vox rauca & oh! talis facies, qualis Hippocrates in illustrandis suis historiis facile princeps tam prope à cadaveris vicinitatibus & confiniis, depinxit, ut luridis & emaciatis malis, ambiguoque vultu, fere sagaces falleret inquisitores discrimen obscurum.

Pag. 33. l. 1. *Haec de phthisi.*] Ut extre-
mum hoc monitorum agmen de hoc morbo
fructum utilitatis majoris praebeat, non ab re-
fore putavi, ea, hoc loco, subjungere prin-
cipia, quae, a medico in insidiosi hujus morbi
gradibus consequentibus, a prima accessione
usque ad ejus decessionem, seu exitum saepe
funestum, semper timendum, praesertim sunt
observanda, & prosequenda.

Ex omnibus praedi^cti idcirco liquet, quod
tempestiva sanguinis sputi cautio & provisio,
puris generati exscreatio, lenimen acrimoniae
hecticæ purulentæ, tussis mitigatio, diarrhoe-
æ impeditio, aut sanatio, primas in curatione
partes tenent.

His autem propositis conducunt missio sanguinis pro re nata instituta, diaeta lactea, medicamenta putredini resistentia, & si non vetat spirandi difficultas, incrassantibus & emollientibus simul sociata, exercitatio lenissima & perquam moderata, plerumque autem nihil utilius est, quam curru, aut equo vehi per aërem purum placidum à nimis frigido calidove utrinque reductum, ut inde facilè expurgetur pulmo.

Praeter haec ad tussim aliaque symptomata molesta lenienda caute interponenda sunt ea remedia, quae more lenissimo somnum conciliant.

Postremo non est alienum insuper adnotare, quod in praedictis utendis & exhibendis, regula optima ex dyspnoeâ petenda est, si enim hoc symptomata multum urgeat, neque vetet diarrhoea, aut oris ventriculi morsus, acidis blandis & salibus, quae calidae & putridae humorum crassi fortiter resistant, necnon & lenissimis & dilutissimis potionibus, libere, parcâ tamen copiâ, unâ vice assumendis aeger tractandus est. Quotiescumque autem pateat, ut spiritus difficultas minus urgeat, lenia obtundentia & incrassantia prioribus medicamentis addenda sunt.

Pag. 33. l. 2. *Duae autem sunt aliae tabis species.]* Hae tamen duae species vix à vera stirpe hectica ortum suum ducere dicantur, nisi simul adfuerit partis alicujus putre vitium ab hu-

humorum acrimoniam inductum, quo casu ad primam familiam & originem profecto referri debet morbus; si alia contigerit tabis species, vel in nimio impetu solidorum in liquida, quo ea atteruntur nimisque solvuntur, vel in acri liquidorum transfluentium indole, omnino ponenda est ejus mali sedes.

Hujusmodi autem omnes, qui ex habitus vitio & culpa, ut ita dicam, tabidi fiunt, urinam tenuem larga copia per vices reddunt, nunc prorsus pallidam, nunc coloris straminei cum paucō vel nullo sedimento; & hoc maxime noctu, dum calidores sint. Sanguis licet per vasa velociori cursu fertur, quam par est, nihilominus vel sponte emissus, vel venis detractus, rubidine nimia splendet, & praeter morem minus cohaeret.

Praeter ea, quae supra scripta sunt, illud quoque observatu dignum videatur, tempestatum mutationes, licet vulgares, male ferre hujusmodi aegrotos, maxime vero eas frigoris & caloris variationes, quae de improviso fiunt.

Hactenus dictis unum hoc adjiciam monitum, scilicet id maximi esse momenti, ut satis clara adepta sit cognitio differentiae, quae extat inter febriles morbos hæticæ & tabidae indolis ex quacunque prole natos, & febrem malam continuam debili & veloci pulsu comitantur. Priores, qui vitio habitus aegrotare dicantur, plerumque pro ratione mali, per longum equidem tempus morbo laborant, imo aliquando

per plures annos, & ad negotiosas cogitationes & actiones valent, minus licet sani & robusti: Posterioribus autem febricitantibus longe alia res est, lecto enim affixi aut saltem cubiculo detenti manent, & tremore, aegritudine, aliisque febris verae languidae symptomatibus noctes diesque vexati & exhausti sunt,



C A

C A P U T I I.

De morbis capitinis.

S E C T I O I.

Apoplexia.

Pag. 34. l. 5. Congeneres sunt plerique capitinis morbi.] Quo clarius autem intelligantur ea, quae ad veram hujusmodi morborum cognitionem, naturam & sanationem pertinent, consulendae sunt in primis praelectiones medicae in Theatro Collegii medicorum Londinensium habitae a Thoma Lawrence M. D. Collegii ejusdem Socio & Praeside dignissimo.

In his enim praelectionibus eruditissimis, Lector deprehendet Apoplexiā & ejusmodi morbos, ex quibus corpora vel sopore victa vel sensu privata fiant, accurate descriptos, & divisione forsan perfecta in proprios ordines redactos, adjunctā simul singulis apta medendi ratione. Quocirca pauca tantum usu explora ta, & ad hanc rem pertinentia adjicienda habeo.

Pag. 34. l. 7. *Quorum praecipuus est apoplexia.*] Homo apoplexia corripi dicatur, quando sub specie somni profundi, stertentis, ex improviso plerumque corruit, omnibus ejus actionibus animalibus derepente abolitis, vitalibus interea non solum salvis manentibus, sed ut plurimum praeter morem se fortius exercitibus.

Pag. ead. l. 20. *Illam sanguineam, hanc pituitosam.*] Haec divisio licet non perfecta, praxi tamen sufficit, utpote reliquas species, viz. a Polypo, & caeteris ejusdem generis, orientes, sese omnes insanabiles esse comprobavit experientia. A causa priori, scilicet sanguineâ, advenire cognoscitur hic morbus ipso corporis habitu calido, plethorico, vultus & oculorum labiorumque rubore, vitae consuetudine quâcunque praegressa, quae sanguinis motum accelerare & ejus molem rarefacere valent, pulsu plerumque forti & tardo, respiratione profunda, rara, forti, stertente.

Dignoscenda est etiam altera pituitosa hujus morbi species a sanguineâ, frigido, pituitoso, cacheoticâ corporis habitu, colore pallido cutis, pulsu tardiore, corpore crasso, pingui, inerti, animique pigritia & stupore.

Pag. 35. l. 13. *Sanguinea autem detractiones sanguinis.*] Si omnia quidem auxilia, quae paulo post a nostro auctore merito proposita sunt, parum aut nihil proficiant, & adhuc urgat

geat sanguinis redundantis copia diminuenda
necessitas; huic fini consequendo nihil aptius
reperitur, quam si, demissis in aquam tepidam
cruribus, fiant ligature femoribus venas tan-
tum comprimentes, hisque tumentibus, ac dein
incisis, sanguinem detrahere oportet; sin ea
res frusta fuit, scarificatione profundâ, &
cucurbitularum ope, reclusis venis copiosè pro-
fluere sinendus est sanguis, & tandem, ut ni-
hil desit, quo plethora, ad capitis vasa minua-
tur, transversim secunda est vena Frontalis
dicta.

Pag. 35. l. 15. *Pituitosa purgationes per al-
yum.*] Non raro autem evenit, aegrum pro-
stratum adeo omnino stupidum se exhibere,
ut remedia cathartica per os sumere nequeat,
quo casu clyster acris statim injiciendus est, eo-
que rejecto, alias atque alias serie continuan-
dus, donec horum ope assidua excitetur diar-
rhœa. In hujusmodi casibus, non omissis cae-
teris mihi optimo cum successu infervire folet
hicce clyster.

R. Pil. e Colocynth. simpl. 3ii. Vin. Anti-
mon. 3iii. Aquae Alexiter. simpl. 3ii. m.

Pag. 36. l. 5. *Arteriarum in temporibus in-
ciso.*] Revera non multum commodi ex arte-
riarum in temporibus incisione capiet aeger,
ipsam autem arteriam temporelam dictam, arte
chirurgicâ aperire necesse erit, & exinde mul-
tum sanguinis detrahere convenit. Si hac exi-
na-

nanitione fretus etiam opem atque auxilium ferre speret medicus.

Pag. 36. l. 18. *Vesicatoria etiam capit.*] Si hisce stimulis per aliquod tempus applicatis, nec voto respondentibus, nequaquam excitetur aeger, subsequentem medendi rationem aliquando bene cessisse compertam habeo, nimirum vesicatoriis primis amotis, cucurbitulae eum scarificatione admovendae sunt, & deinde vesicatoriorum recens de novo imponere oportet, quod pannis calidis aut tegulis calefactis promptissime in actionem excitandum est, quippe in summam ad ea, quae querit medicus, proficiet.

Pag. ead. l. 23. *Sensus enim fibrarum in nervis fere deperditur.*] Idcirco non alienum erit notare, quod in aestimandis prostrati attoniti viribus, non aequa considerandae sunt praesentes ac praegressae, & qualis fuit aegri status ante morbi accessum. Largas enim semper postulat exinanitiones, eosque homines prae caeteris aggreditur, quibus diaeta plena, lautâ, calefaciente, liquoribus spiritus vinosi divitibus, seipso reficere, & molliter curare pulchrum fuit.

Insuper in curatione hujus morbi, seu de ortu sanguineo, seu pituitoso, minime præterreundum est, quod quo magis sub ipsum paroxysmum crescat fortitudine pulsus, eo plurimumque malum sit deterius, atque ideo necessario

fario requiruntur exinanitiones, dum humorum solutionem promovere, & impedimenta tollere molimur.

Cum igitur apoplexia, quam fortē vocavit Hippocrates, sit insanabilis, & altera, quam levem dixit, sit, ut ipse monuit, curatu admodum difficilis; summis certe viribus obnitudinem est, ut morbo adeo periculosissimo, omnis, quantum fieri possit, p̄aeclusus sit aditus.

Quocirca sanguis mittendus est ter quaterve in anno, aut si plethorae sanguineae adsint signa, forsan saepius; interposita simul aliquando alvi subductione, vel medicamentis, quibus Mercurii dulcis sublimati portio aliqua inest, aut saltem iis purgantibus peracta, quae crassos humores attenuare, & superfluos simul e corpore educere pollent.

Mensibus igitur aestivis aquas minerales ex fontibus apud Scarborough, Cheltenham, aut Harrowgate, prout postulet corporis habitus bibere, his quam maximè prodest.

Ulcera etiam, quibus fonticuli nomen afficitur, ampla & profunda pro ratione loci sub occipitio, in scapulis & femoribus, scalpello, vel inustione facta, excitanda sunt, & fervanda diu.

Vitare insuper debet quisquam in hunc morbum pronus calefacentia omnia, ingluviem, crupulam, exercitationes nimias, praecipue subitaneas & violentas, omnia humores sursum attrahentia, caput implentia, ut sunt vomitus,

mitus, balnea frigida, somnus multus, alia-
que similia.

S E C T I O. I I.

Paralysis.

Pag. 37. l. 12. Nullus jam sanguinis missio-
nibus locus.] Licet autem, quod saepissime
fiat, ut apoplexia in paralysin desinat, tamen
operae pretium erit, despicer, num ab ea
praegressa ortus sit morbus; quo casu, si suf-
ficientes fuerint exinanitiones, non mirum est,
ut vires, aegri novas non sinant instituendas.

Tentanda igitur hujus mali curatio iis solis
medicamentis, quibus liberior sanguini resti-
tuendus sit circuitus, calidis scilicet vel tem-
peratis pro natura aegri, frictionibus cum re-
mediis nervinis dictis, emplastris stimulanti-
bus & resolventibus ad mali originem appli-
catis.

Sedes haec autem nemini quidem dubia esse
potest, qui functionem laefam, & nervi cur-
sum & distributionem, alteram alteri compa-
rare polleat.

Interea dum haec fiant, alvi purgationem
catharticis medicamentis pauxillâ Mercurii dul-
cis sublimati portione conjunctis instituere,
vomitumve, ex iis quibus Antimonii potesta-
tes insint, semel scilicet singulis vel alternis
heb-

hebdomadis elicere , ut plurimum haud alienum erit. Haec profecto de hujusmodi paralyſi dicta ſufficient.

Medicis autem ab omni aevo notum fuit, aliam eſſe paralyſin, non ob hoc malo ovo progenitam, & quea, non minus quam apoplexia ipſa hominem exemplō adoritur, & aliquando, praeter caput, totum corpus, aliquando alterutrum latus, nunc brachium, nunc crus invadit; quo fit, ut pro ratione partis affectae, ſenſus & motus dērepente aboleantur.

Paralyſin autem hanc repentinam ab omni cauſa ad apoplexiā gignendam propensā exoriri veriſimile eſt; modo partem aliquam ſingularem cerebri, aut ſpinalis medullae, vel nervum quemlibet ita afficiat, ut communica‐
tio a cerebro aut medulla spinali, ope nervi, quaecunque illa ſit, ad partem affectam impe‐
diatur.

Et revera tale malum in praefentia, & ante oculos ſe exhibere dicatur, quandocunque pars aliqua laxa motū impotentiā coniuncta, nulloque nixu voluntatis vel vitae ſuperanda adſit. ſenſus etiam nonnunquam ex toto perit, ſaepe tamen obtuſior, & cum ſtupore, aliquando & cum quodam doloris ſenſu, quaſi ex aculeis orto, levis adhuc reſtat.

Illud tamen opus eſt monere, duas hujus morbi, ut apoplexiæ praegreffæ, praecipuas species a scriptoribus medicis memoratas eſſe, unam ſcilicet ſanguineam ex ſanguine nimis abun‐
dante, & impetu nimio per arterias propulſo;

alte‐

alteram pituitosam ex humoribus lentis, glutinosis, nimis debili motu circumactis, enatam esse affirmarunt. Idcirco apoplexiam & paralyſin, praeter eam, quae à luxatione articulorum, contusione, tumore, iictu, lapsu ab alto, aliisve similibus causis originem ducat, tanquam congeneres morbos in eadern trutina suspendere solent.

Hae quidem duae species ex signis, in motinis ad apoplexiā spectantibus, jam antea recensitis, facile dignosci possunt; & idonea partium affectarum ratione habitā, curationem apoplexiae leviori omnino congruam postulant.

Hoc autem singulare & notabile habet hic morbus, quod externae applicationes partium resolutarum vigori conciliando inservientes, se ex majori usu esse innotescant, quam in apoplexia singulari, cui parum prodeſſe videntur.

Utiliora etiam quam in apoplexiā invenientur medicamenta vomitum proritantia, quae morbosis paralyticis, interdum fauste singulis hebdomadis, exhiberi possint.

Restat tandem animadversione dignum, paralyticam alicujus membra impotentiam penitus dignosci posse, ab ea, quae ejus contractioni, vel nervorum distentioni originem debeat, ex facilitate, quā hujusmodi membrum adstantis manu quaquaversum movendum sit, nullo apparente renixu, nisi a partis pondere, nulloque in motu dolore; quod in membris contractis aut con-

convulsis longe aliter se habere expertum est.

Pag. 38. l. 7. *Calidae vero immersionses.*] Longe discrepat haec Autoris sententia a veterum praxi & doctrina, antiquis enim medicis mos erat, Paralyſi detentos in balnea calida demittere, urticis verberare, & dein dolores & tremores excitando, se vasa obſtruēta reſerare, & nonnunquam ad bonos exitus vota concepta ducere poſſe, tradiderunt.

Pag. 39. l. 3. *Saepe longus.*] Alia certe tenenda eſt medendi ratio in eo morbi statu, quo membrum irritis omnibus remediis praedictis, adhuc resolutum maneat. Quocirca ad remedia potentissime sudorem elicientia confugiendum eſt, implendo corpus decocto Guiaci ad libras tres vel quatuor quotidie assumpto per tres dies, dein quarto quoque die in vaporario, vel ope vaporum ex ſpiritu vini accenſo in lecto excitetur sudor, adhibitis ſimul frictiōnibus validis aromaticis, tum praefente ſudore, tum aliis etiam temporibus, iis praecipue in locis, quibus ſitum eſt malum, ut et balnea calida herbis cephalicis aromaticis, stimulantibus & ſimilibus comparata, quae per dies aliquos ad eandem rem uti poſſint, & demum lecti vel vaporarii auxilio ſudorem evocare nitendum eſt, atque haec artificia prae caeteris curandi modis ad hunc morbum longum & con-tumaciffimum debellandum non parum profuſe comperi.

D

SEC-

S E C T I O I I I .

Epilepsia & Vertigo.

Pag. 39. l. antepen. *Saepissime ventriculi magis.]* Priusquam seu morbi comitialis, quem recentes auctores epilepsiam potius nominare exoptaverunt, seu vertiginis ulla aggredienda est curatio, sedulo dispicere oportet, quā in parte sit vitium; eo quod omnes hujus morbi species, quae profecto sanari possint, ab alio aliquo morbo derivandae sunt, cuius vi, vel in cerebrum ipsum, vel in nervos, fit irritatio nimia, & inde distentio vel omnium nervorum, vel aliquorum membrorum, maxime pro ratione situs peccantis materiae. Hoc itaque morbo sublato cessabit malum; nec aliter, utcunque medicamentis antiepilepticis dictis tractetur.

Hoc autem in loco, non ab re erit notare ea signa, quibus praesentibus morbum comitiale à vitio ipsius cerebri imprimis affecti, vel à malo quodam in aliis corporis partibus sito, ortum suum ducere cognoscamus.

Prisci scriptores universi, & quamplurimi ex recentioribus, morbum comitiale prioris ordinis, titulo idiopathicī insigniverunt, licet veritati multo magis consentaneum fuisset, eum sub sympathico collocasse; utpote communi omnium consensu in culpā est vitium aliquod subsequentibus perquam affine; nimirum craniī offa

ossa tumida , aculeata , aut præter naturam
sita , pus , sanies , & innumera ejusmodi ,
quae cerebrum premere , lacerare , pungere ,
corrodere aut corrumpere valeant .

His autem signis se innotescit morbus co-
mitialis idiopathicus dictus . Adsunt enim per-
petuò in capite , vel gravitas , dolor , calor ,
vertigo , oculorum scintillatio , aliave similia ,
quae ab oppresso vel laeso cærebro oriuntur .
Hujusmodi certè aegri , quibus re ipsâ se ma-
le habeat cerebrum , symptomata praedicta
semper comites habent ; & ab omni causâ ,
quâ , increcente impetu circumfertur sanguis ,
recurrentes patiuntur paroxysmos , maximè sub
adventum novae vel plenae lunæ .

Frustra , imo noxie his exhibentur medica-
menta antiepileptica dicta , quae omnia san-
guinis calorem & circuitum valde adaugent .
Moderatâ autem alvi subductione , triduo aut
circiter ante lunationes exhibenda , nonnun-
quam praecaveri possint hujus morbi paroxys-
mi , ut & missione sanguinis . Cautione tamen
hic opus est , ne jam memorata exinanitio ad
consuetudinem adducta sit , utpote vires nimis
exhaurire solet .

Ut morbus autem in posterum praecavea-
tur ; id primum medico tentandum est , quid
valeant ulcera in locis commodis ; scilicet , in
scapulis , femoribus , & pone aures , canden-
tibus ferramentis , scalpello , acu filum ducen-
te , aut erodentibus medicamentis , manu chi-
rurgi , admovendis , excitanda ; nt horum ope ,

D 2

hu-

humorum moles cerebrum gravans alio derivari possit.

Interea confitendum puto, hanc speciem rariſſime medicinam admittere posſe, niſi ex ſimplici plethora, aut citā humorum inflatione ortum habeat; unde doloribus primum excitatīs, nervorum & membrorum diſtentiones ſequi ſolent.

Ex habitu calido, & vultu pleno rubro, oculis rubris, & pulſu tardo in paroxysmorum intervallis, certè liquet, morbum comitialem primae cauſae, ſcilicet plethorae adſcribendum eſſe, quo caſu ſanguinis miſſione, purgationibus per alvum, prout poſtulet occaſio, reperitidis, & idoneis forbitiōnibus pro maxima parte fanari poteſt.

Altera autem ut plurimum ponit concitatum ſanguinis motum & acrimoniam auſtam niſis, ex prava vivendi conſtitutione, ebrietate, violentis corporis exercitationibus, &c. Sanatur exinanitionibus & derivantibus praedictis, adiectis ſimul diaeta & medicamentis, quae humores leniendi & demulcendi vim habeant. Qui ebriosi, qui liquores viñosos jejuno ſtomacho ingurgitantes, vitam immundam agunt, in hanc ſpeciem tanquam in calamitatem communem plerumque incident.

Ad tales autem aegros fanandos, ſi adhuc juvenes, aut viribus adhuc valentes, maxime conſert medendi ratio jam antea expoſita; plerumque vero niſis debilitantur hujusmodi epileptici ante morbi accessionem, & quod pejus

pejus est, temulentam vivendi consuetudinem, raro relinquunt: In aliis frustra fere expectatur sanatio.

Ad hunc ordinem idiopathicum jure referenda sit illa hujus morbi species, quae viros, aggreditur, qui sibi ipsis vacuas defumpfere Athenas, & studiis totos dies & noctes se dedere; idque fit partim propter statum cerebri plus aequo astriectum, & nimiam spirituum vulgo dictorum animalium dissipationem, partimque propter languidum nimis liquidorum circuitum, quo lente scit sanguis, & in cerebri cavitatibus haeret. His pulsus tardus & obscurus est, & facies pallida, & hyeme pejus se habent.

Sanatur haec morbi species detractione sanguinis, & moderata alvi subductione, subinde repetendâ; datis in intervallis medicamentis attenuantibus, parcâ portione diu assumendis; qualia sunt radix Valeriana sylvestris, Cinnabar, Chalybs, & sapones, ut & equitatione, animi laxitate, & similibus.

Missio autem sanguinis in his major esse non debet, quam ut humoribus, seu rarefcentibus seu tenuioribus redditis, spatum idoneum comparetur, nisi ob magnam paroxysmi vehementiam timeantur apoplexia, aut vasa rupta.

Hujusmodi aegri praeter signa descripta frequenter annulum lividum sub oculis & circa os habent ante adventum paroxysmi, maxime vero post ejus discessum ex stagnante fagine in vasibus laxis & imbecillibus orto.

Cum autem mihi sat erit, haec de morbo

comitiali idiopathico monuisse; superest nunc,
ut de altera specie sympathica dictâ nonnulla
traderem.

Epilepsia sympathica ex infinitis fere causis
ortum habere potest, quae diligenter perqui-
renda, ut ad mali sedem quam proximam appli-
centur remedia.

Causae autem, quae partes praecipuas agunt
in hoc morbo, sunt in infantibus retentio ster-
coris, dura nimis coagulatio lactis, humores a-
cres & acidi tornina excitantes, dentitio, ro-
siones & irritationes à lumbricis, variolae, do-
lores omnes violenti utcunque nati. In iis ae-
tatis paulo grandioris, præ caeteris vermes, ir-
ritationes ab assumptis crudis, acidis austerioris,
calor ingens, motusque nimius, expletio nimia
ventriculi, & similia. In iis ad pubertatem acce-
dientibus, ipsa pubertatis irritatio, veneris appe-
tentia, aliaque similia. In virginibus eadem, ut &
mensium defectus, horum suppressio, fluor albus,
passio hysterica. In mulieribus eadem, ut & men-
sium, sanguinis, aut aliasmodi humoris, sive à
naturâ, sive arte profectum prostervium ni-
mium, aut inimica suppressio, affectus animi
ingentes, ut terror, metus, & similia. In
viris ebrietas præcipue ope liquorum, quibus
spiritus vini præpollet, motus validus & calor
nimius, febres, dolores ingentes, præcipue
capitis, materies podagraria intempestive retro-
cedens, & superiora occupans, haemorrhoi-
dum, ulcerum & similiū suppressio, pletho-
ra, aliaque ejusmodi quamplurima.

In

In omnibus, autem horum, retentio puris,扇iei, vel humorum acrum alicubi stagnantium coactio, tales nervorum distentiones & morbum comitialem seu epilepsiam efficere possunt.

Hinc etiam patet, atque cautionis loco id minime praetermitti debet, quod paroxysmi in hac morbi specie circa novam plenamque lunam maxime oriri possint, ob inflationem turgidam humoribus inductam, licet minus certe, quam in priori specie idiopathica dicta.

In curatione autem epilepsiae ex sympathia ortae eradicari debet morbus primigenius, adjectis simul medicamentis, quae ad inordinatum spirituum animalium motum compescendum aptissima sunt; licet non directe ad primum morbum respiciant: Exempli gratia, si infans membrorum distentionibus tentatus sit, inquiro sedulo per signa variolarum, dentitionis, & torminum, an his laboret, aut alio quolibet morbo, qui nervos valide irritare potest, & hoc semel patefacto, distenta membra inde oriri maxime probabile est.

De epilepsia, prout id malum, auctorum consensu fere communi, sub nomine idiopathicō & sympathico cognitum sit, satis dixisse videamus; sequitur igitur ut de quadam alia hujus morbi specie, cui, si quis idiopathicae verae nomen dabit, haud inepte id fiet, nunc quaedam dicenda.

Haec species ab ipsa nativâ nervorum constitutione debili & infirmâ pendet, & puellis teneris, foeminisque delicatis maxime fami-

liaris est: Hinc fit, ut ob levissimas res in tremores agantur musculi, & praeter voluntatem artus se convulsos exhibeant.

His omnibus, praecipue si obesae, frigidae, & melancholicae sunt temperationis, conueniunt medicamenta antihysterica & antiepileptica dicta, amara, chalybeia, equitatio, &c. si vero ad indolis hec tiae naturam potius accedant, tunc lac asinum bibendum bis terve quotidie praebere opportunum erit, adjunctis ut plurimum spiritus cornu cervi guttis paucis, & dum haec fiant, idoneis intervallis, interponenda sunt & parca tantum portione assumenta medicamenta jam antea memorata, usque dum robustiores evadant.

Dignoscitur autem haec species a prioribus, eo quod nullo non tempore hujusmodi imbelles, seu viros, seu foeminas aggreditur, quoties ab inexpectato quolibet eventu licet levissimo, hisce animis incidat metus aut terror.

Hujusmodi vero ordinis quotquot sint, quibus tales adsint nervi natales, pulsum habent celerem & debilem, & ab exinanitionibus in pexus ruunt, nisi parcae admodum, potius quam modicae instituantur. Hujus autem rei ratio, ut mea fert opinio, hoc fundamento nititur, nimirum, acrimonia & tenuitate magis, quam lentore, & crassitudine, plerumque pollere humores, & revera hanc ob causam, ut opinor, evenit, quod lac asinum & similia lenientia & demulcentia adeo ad ea proficere possint, quae in hisce morbis curandis in primis quae-

quaerenda sunt, ut huic medendi rationi praecaeteris omnibus semper erit gloria palmae.

Tetanus.

Pag. 40. l. penult. *Validissima convulsio.*] In sede autem hujus mali invenienda, non raro accidit, multum lucis adducere nervorum tabulas. Etenim si aliquid irritans vel ex dolore, gravitate, &c. in nervi progressu vel ejus ramis se non manifestet, malum in cerebro vel spinali medulla haerere valde probabile est. Sin autem in ipsis nervis quodammodo laesis, revera adsit earum distentionum causa principalis, integrum sanitatem denuo revocandam vix expectare fas est; nisi ipsi parti male affectae applicari possint medicamenta manu chirurgi, cui rarissime datur tuta potestas. Tentanda interea sunt ea in morbo comitiali nuper proposita, praecipue ulcera arte excitata, malo patenti quam proxime posita, ut & fatus anodynii, si forsitan horum ope leniatur dolor (qui hoc in casu necessario acerrimus est) aut materies foras tendere sollicitetur, & tandem evacuari possit.



C A P U T III.*De insania.*

Pag. 43. l. 16. *Alterum cum furore & audacia.]* Pulsus interea nec magis nec aliter de recto deflectere solet, quam quod aliquanto obscurior est & contractior, propter, admirandam plane aridam fibrarum fabricam, non tamen fortis, durus, & creber est ut in morbis inflammatione conjunctis. Urina parce & restrictive admodum excernitur, crassam tamen naturam, saepe & valde mucosam possidet.

Pag. ead. l. 17. *Alterum cum tristitia & metu.]* His praesertim signis se manifestat, scilicet adsunt pulsus tardus, obscurus, contractus, vigiliae perpetuae, ut & vel maestitia & taciturnitas obstinata, oculis in unum objectum defixis, vel loquacitas de rebus horrendis, spectris, diabolis, irâ divinâ, omni spe abjectâ poenis aeternis, aliisque similibus. Secretiones quae per alvum, vesicam, cutis meatus, & caeca spiramenta fieri debent, more prorsus insigni minuntur, adeoque vultus plerumque torvus, color pallido-fuscus, maxime autem cum perlentos gradus talis inductus fuit in aegrum morbus.

Pag. ead. l. 20. *In maniam saepissime transit.]*
Signa,

Signa, quae denunciant hunc morbum melan-cholico brevi accessurum, sunt vigiliae contu-maces, aut somni brevissimi, insomnia turbu-lenta, curae & sollicitudines animi, molestiae, proclivitas ad venerem scilicet major, pollutio nocturna frequens, oculi cavi in selectam quan-dam rem pertinaciter defixi, & atroci aspectu, aliquando quasi raptim in adstantes conversi, praecipps & frequens iracundia sine justa data causa, assuetarum exinanitionum suppressio, fletus aut risus praeter rationem & consuetudi-nem, & nunc loquacitas fere assidua, nunc taciturnitas meditabunda.

Pag. 49. l. 28. *Quas exinanitiones ferre pos-sit.]* Quanquam haec cautio ab auctore peri-tissimo data nunquam non observatu digna est, tamen in hac calamitate, non minus est medici officium, principem infaniae causam sedulo per-quirere, ut hanc semel cognitam, apta dein in-stituatur medendi ratio: Exempli gratia, si ob mensium defectum ortus sit morbus, exhiben-da sunt remedia, quae menstrua promoveant, aquae acidulae, quibus ferrum insit; alvus iterum atque iterum catharticis potionibus sub-ducenda est, interea interpositis subinde bal-neis tepidis ad umbilicum usque porrigentibus, & detracto iteratis vicibus, quantum opus est, sanguine ex Saphaena, deorsum dirigendae sunt & humorum & medicamentorum vires.

Ut haec autem omnia fauste proficiant, diu in his persistendum est, augendo vel diminuen-do

do copiam tum horum , quae humores atten-
uant & emendant , tum illorum , quae eva-
cuant , prout abeant , redeant , varientque
symptomata .

In menstruis autem ciendis , illud porro mo-
nendum habeo , quod praे caeteris medica-
mentis valet Borax , qui cum attenuantibus &
calefacientibus , vel refrigerantibus & resolven-
tibus , pro habituum differentia , commode
dari potest .

Quo melius haec fieri debeant , ex parte ex-
ponam ; nimirum , si ex vigiliis assiduis , tristitia ,
aci studio , aut similibus causis ortus sit
morbus , ad contraria sensim deducendus est
aeger , exhibitis similiis iis remediis , quae hu-
mores diluant , leniant , & eorum crasim parti-
culatim emendent , alvum laxent , somnumque
inducant .

Porro si febri male sanatae , causaeque ca-
lliae humores inspissanti , tribuendus sit mor-
bus , aperientibus blandis , sero lactis , lacte
asinino , aquis mineralibus , balneis tepidis , ex
aqua & lacte comparatis , aliisque ejusmodi ,
diluendi sunt humores , interpositis simul sali-
bus neutralibus dictis , & non raro refrigeran-
tibus & subacidis .

Pag. 50. l. 12. *Ex vena jugulari.*] Morbus
hic ut plurimum largas & repetitas sanguinis
missiones postulat , & praemissis iis ab autore
jam jam memoratis , feliciter aliquando detra-
hitur sanguis ex vena saphena . Hoc vero
fere

fere semper fieri debet ad lipothymiam, aegro stante, vel erecto corporis situ sedente, aliter raro satis laxantur vasa cerebri.

Pag. 50. l. 18. *Vomitus.*] Non raro autem accidit, quanquam largissimae exinanitiones, vel venis incisis, vel vomitu peracto, factae fuerunt, valde tamen furere perstare maniacos.

Ad ferores hos animos compescendos, saepe mihi compertum fuit, non parum proficisse medicamenta, quae aegritudinem Ventriculo induxerunt, eâ tantum copiâ, & repetitis vicibus assumenda, ut loco vomitus hunc affectum gignant, & alvum leniter cident; huic autem fini consequendo, mihi in usu fuit exhibere, quarta vel sexta quaque hora, hujusmodi misturae cochlearia duo aut tria. Rx. Rad. Hellebori nigri, Tartar. solub. ana 3ii. Fol. Senae 3fs. Decoque cum aquae pur. ibi. ad colatur. 3x. dein add. Oxymel. Scillit. 3iii. Syrup. e Spin. Cervin. 3vi. m.

Pag. ead. l. 24. *Haemorrhoidum in viris.*] Si maniacus conqueratur de dolore Intestini recti, vel in furore hunc locum scalpendo designet; statim summâ deditâ industriâ tentandus est *Haemorrhoidum fluxus*, admovendo scilicet hirudines, injiciendo clysinata, & suppositoria, quae Aloës vim habent, aliave ejusmodi.

Pag. ead. l. antepen. *Valentiora plerumque medica-*

dicamenta.] Si forsan propter aridum astrictumque nimis fibrarum habitum, non respondeant cathartica, quotidie in balneum tepidum demittendus est aeger usque ad hypochondria, atque in eo per horam manere oportet, quamprimum autem votis annuat alvi purgatio, dein parcius adhibendum est balneum, ne succedat hydrops.

Pag. 52. l. 18. *Quae ad humorum vitium emendandum.*] In medicamentis huic scopo infervientibus exhibendis, singularis semper humorum pravitatis cauta habenda est ratio, verbi gratia, si vigeat acidum ab alcalicis gradatim assumptis petenda sunt dissolventia, si praedominet alcali ab acidis, aut saltē subacidis, si lensor glutinosus iners, a dissolventibus acrioribus, qualia sunt gummi ammoniacum, sagapenum, asa foetida, helleborus niger, & alia ejusmodi.

Pag. ead. l. 24. *Et Camphora.*] Hujus medicamenti vires adversus morbos maniacos plurimum valuisse, experientia fida, comprobatas habui; easque aliquando successu profus singulari coronatas notavi. Oblata igitur hac occasione, modum, quo Camphora maniacis utiliter exhibenda sit, hoc loco exponere, haud alienum esse videtur.

E. G. Cum ad maniacum inter exordium mali visendum venisse mihi contigisset, sanguinis missionem, pro furoris & virium ratione fa-

satis largiter instituendam, dein potionem catharticam formâ hujusmodi componendam & extemplo hauriendam esse curavi. Rx. Infus. Sen. commun. 3iii. Nitr. purific. aut Tartar. vitriolat. 3i. Pulv. Jalap. 3ii. Mann. 3fs. m. Hujus autem potionis Cochlearia quatuor, secunda quoque hora, haurienda maniaco præbere convenit, usquedum succedat alvi copiosa dejectio. Hac autem exinanitione finita, in balneum tepidum, inguinibus tenus, demissus fuit aeger, ibique per horam manere coactus fuit; postero die repetita fuerunt omnia prædicta.

Si ne sub his quidem quies ulla facta sit, tum maniaco valde furenti vesperi dedi devorandum bolum ex Camphorae drachma dimidia & conservae Lujulae, Malvae, aut fructus Cynosbati drachmis duabus confectum. Hac nocte, non sine admiratione, aliquando vidi maniacum dormientis speciem paululum exhibere, minus insanire, & madore leni corpus habere perfusum. Die proximo ab eo, de industria curavi Alvum perquam moderate liquandam, balneum repetendum, & Camphoram ut antea vesperi assumentam esse. Sub his incipsis faventibus, hac nocte raro spes mea me fecellit, quin id, quod maxime expetiveram, contingere; scilicet, ut aegrotum, paulo plus dormire, minusque, furere, & madore, ut antea dictum est, perfusum conspicerem. Die insequenti, illud porrò confidenter monendum habeo, ut sanguinis missio & balnei simul usus quo-

quicquo pacto renovari deberent. Alvo interea laxa servata, vesperi omisso erat bolus, eumque cum Camphorae scrupulo uno compositum alternis tantum noctibus exhibere, ut plurimum mihi mos erat, atque hanc solam medendi ratione fretus, mentis furibundam alienationem indies adeo evanescere observavi, ut aliquando intra tres septimanas maniacum ad sanitatem tam mentis quam corporis feliciter fuisse restitutum, comperi.

Attamen non obstantibus exemplis quibusdam faustis, me ipsum, pro dolor, confidentem habes, omnia saepe contra ac dicta sunt, evenisse, & Camphoram & Artem ipsam nihil profecisse.

Pag. 52. l. 26. *Quam ipsum opium.*] Medicamenta, quibus Opium insit, caute in hoc morbo exhibenda sunt, eo quod caput gravant, & somno finito, vel horum ope non conciliato, ut saepe accidit, furorem augere solent; ideoque ea tam diu differre convenit, donec praemissis exinanitionibus, de quibus, ut supra, ante omnia instituendis praecepta dedi, aegrotum minus furere pateat.

Pag. ead. l. penult. *Aegrum balneo frigido frequenter immergere.*] Laudantur fere ab omnibus scriptoribus medicis balnea frigidissime utenda, & profecto sub hujus morbi exitum nonnumquam profunt, citius autem in curacionem adhibita, quam quod facta est opus, scilicet

licet quamdiu minimus vasorum cerebri infarctorum extet metus, periculum facescere potius dicantur. Multo magis beneficij praestant balnea tepida, alternis diebus repetenda, cavenido simul ut erecto situ servetur corpus, eo quod humores acres diluunt & emendant, fibras laxant, a capite revellunt, & ad somnum conciliandum aptissima sunt.

Pag. 54. l. 26. *Mens ad se rediens.*] Est autem alia mentis insaniae species, licet à nostro autore oblita, a Sydenhamo tamen descripta, quae praesertim eos, seu morbis diuturnis fractos, seu nimiis exinanitionibus perpeccis exhaustos aggreditur. Hi autem aegri puerorum more propter res prorsus leves & nugatorias lachrymas fundunt, & nonnunquam nullā datā causā iterum in risum excitantur more mulierum hysterica affectione laborantium. Quam ob rem, ut mihi videtur, potius prodessipientiā quadam quam insaniam habenda est haec valetudinis imbecillitas, & de hac re mihi dubium non est, utpote sananda est cibis aromate conditis, potu vinoſo & medicamentis corroborantibus dictis, praecipue ferrugineis & cortice Peruviano.



E

C A

C A P U T I V.

De angina.

Pag. 56. l. 3. *Anginae varias species.*] Vera anginae idea ab impeditione vel dolore in cibis & potibus devorandis & hauriendis petenda est, illa autem faicum affectio, quae reddit respirationem dolentem à causa morboſa ſuperiores Æſophagi vel Asperae Arteriae partes obſidente, a scriptoribus medicis tam veteribus, quam neotericis, nec non & noſtro auctore, angina ſimul appellatur.

Ambae hae species in alias variis nominibus insignitas dividi ſolent. Ex his autem quam plurimae, partim aliorum morborum ſoboles ſunt, partim ex mala curatione, vel gradu ipſius mali ſuos ortus ducunt; cujus generis ſunt in primis angina paralytica, quae ſenſus prae caeteris occupat, & oriuitur à faicum muſculis adeo nervorum resolutione affectis, ut officiis ſuis fungi nequeant, angina hysterica, quae aſtrictioni ſpaſtice debetur, & aegros hystericos & hypochondriacos obſidet, angina indurata, quae locum habet, quoties inflammatio, ob malam curationem, vel materiae obſtruenteris crassitudinem, glandulas faicum ſcirro affectas reliquerit; vel quoties nulla praegressa inflammatione obſtruuntur illae pittuita

tuitâ glutinosâ , ut strumosis sit , & quibus ob frigus contractum anginam advenire pervulgata res est.

His denique adjicienda est angina illa, quae fanie tenui mali odoris, dolore, & punctione comitata est : Haec plerumque ortum suum habet a faucium glandulis, quae prius scirri naturam prae se ferebant, nuper autem cancro se occupari tristia signa edere incepérunt.

Pag. 56. l. 6. *Non satis pro morbi natura dilucide.]* Loripedem rectus derideat, quis autem, licet parum in historiâ medicâ versatus, nostrum autorem de aliorum scriptis obscuris querentem patienter tulerit, cum periculosi hujus morbi symptomata omni modo tam varia, curationemque tam variam postulantia, nec dilucide nec utiliter satis, ab ipso tradita sunt.

Pag. ead. l. 11. *Glandulae distenduntur & tumefiunt.]* Quo minori incommodo aeger cibum & potionem devorare potest, quo minus intercluditur spiritus, eo minus periculi, ut & quo plus in conspectum veniat pars affecta, quae tumore, inflammatione, aliisve ejusmodi signis se manifestet, eo plerumque levior morbus, & curatio facilior, ob facilem medamentorum applicationem ; & proinde Angina cum tumore externo raro mali ominis, nisi forsitan a mole ingente vasa larga comprimente oriatur malum, vel strumosae aut saniosae indolis sit tumor.

Ista autem anginae species quam noster auctor nominavit primam, ponit partes affectas ingenti aggestu materiae ferosae vel pituitosae obstructas & impletas, ex quo fit ut tumore pallidioris coloris distendantur, quam si his vera inflammatio contigisset. Interea quamvis & cibi devoratio & respiratio aliquatenus impedianter, tamen in officiis suis peragendis obtuse tantum dolent partes affectae. Haec species illis quidem familiarior est, qui obesi, pituitosi, cacheoticci & hydropici sunt corporis habitus.

Pag. 56. l. 12. *In altera tonsillas occupat inflammatio sine perfecta suppuratione.*] Haec species, aliquando partem affectam ad suppurationis, imo aliquando ad gangraenae conditionem adducens, cognoscitur adesse febre, ab ipsa accessione valde acutâ, pulsu valido (nisi multum laborent aspera Arteria, aliaeve partes respirationi inferientes, quo casu debilis & creber est) oris & oculorum vultusque totius rubore, dolore in comedendo & devorando, vel respirando plus minus aucto, pro gradu febris, nec non & inflammationis, quae partes huic vel illi operi, & officiis fungendis assignatas invasit.

Ut proclivitas autem in suppurationem non benignam, vel etiam in gangraenam prohibetur, tota consistit curatio in cito solutione inflammationis, ita quidem, ut aliquando sanguinem ter quaterve in viginti quatuor horis detra-

trahere, eodemque die venas imam linguam percurrentes aperire, & validam alvi purgationem instituere, coactus fuerim. Sin autem aeger nihil devorare queat, clysterum ope solicitanda est alvus, ut sat liquanda fiat.

Vesicatoria etiam imis colli vertebbris apposita, & aperta servata, non levia praebent auxilia, ut & eorundem pone aures, & inde ad humeros applicatio, eo modo, quo optime à parte affecta fiat humorum derivatio.

Interea assidua gargarizatione opus est, ne à respiratione frequenti partes aridae & durae evadant. At in hoc remedii genere adhibendo, melius est, aegrotum perpetuo fere tepidum gargarisimum in ore tenere & expuere, ut ejus ope madescant fauces, quam (ut mos est) fortiter in ore agitare; talis enim motus dolorem excitat, & inflammationem aug^{et}.

Si parum doléant partes, & pituitā lenta tantum obstruantur, ut in specie aquosa dicta non raro accidit, ablutio valida melior est, quippe pituitam solvit & exprimit.

Nihilominus autem, ita res interdum fert, quod inflammatione non sat cito resolutā sit partis affectae suppuratio, interea dum haec contentionē magna agitur, tumor partis sensim increscit, atque in summas angustias, & vitae discrimen, ob periculum suffocationis, aegrūm inducit.

Hic morbi status cognoscitur adesse transitione doloris acuti in obtusum, pulsū molliori, horrore vespertino, alisque puris gene-

E 3 rati

rati signis, & praecipue ore ipso inspecto, & probe examinato, quippe circa tonsillas plerumque situm est malum.

Ideoque si in confpectum veniat pars, depresso lingua scalpelio tundatur, ut exitus patet materiae purulentae, simulque ut brevior & tutior aperiatur via, qua fauces ad pristinum habitum revertantur.

Multum euidem ad hanc rem confert, eas gargarizare medicamentum hunc in modum parato, quod ex ejus usu in hujusmodi morbis sat abunde iterato, haud parvas habere virtutes, mihi bene notum est.

R. Decoct. Pectoral. cum Aq. Calc. ppt. ʒxiv. Tinctur. Myrrh. ʒi. Alumin. ust. ʒi. Mell. Rosar. ʒifs. m.

Si vero confpici nequeat tumor, & tamen propter morbi durationem, & suppurationis signa, eum suppuratum esse pateat, tussi, vomitu, aut sternutatione, excitatis concutendus est, quorum impetu post alias horas, plerumque rumpetur abscessus. At his non valentibus, aegroque in tantas angustias perducto, ut inde immineat immediata suffocatio, restat sola Bronchotomia.

Pag. 56. l. 13. Et indurescunt.] Duri glandularum tumores, scirri dicti, eam anginæ speciem jam proxime memoratam multo saepius, quam aquosam sequi solent, praecipue si pluries trederit morbus. Sin autem diu maneat talis glandularum pravitas, sublatâ penitus fae-

sævitie inflammata, applicetur gulae emplastrum ex Ammoniaco cum Mercurio, aliudve simile, & commodum erit Mercurium dulcem sublimatum per duas trespve noctes exhibere, & postero die alvum ducere, ea ratione quā ferant vires; talemque purgationem alternis hebdomadis repetere, atque in ejus intervallis bis quotidie devorandus est bolus qui Cinnab. Antimon. Sal. Polychr. ana Æti. Gum. Guiac. pulv. a granis v. ad Æss. habeat, superbibendo cyathum ex decocto Lignorum Guiaci, Sarcaparillae & Glychyrrhizae. Ulcera etiam pone Aures, sub Occipitio & Scapulis manu chirurgi excitata aliquod boni afferant.

Sin vero his modis non solvatur, ut saepe accidit, tonsillarum durities, quin ab harum tumore, & vasorum adjacentium compressione fiat frequens ad morbum recursus, tum vel cultro vel caustico medicamento ex locis suis exterminanda sunt hæc partes durae.

Pag. 56. l. 14. *Illico fit Gangraena.*] Si autem pede tam cito festinet malum, ut irritis omnibus in Gangraenam ruant partes morbofae, id periculum his signis clare indicatur. Fauci dolor intensus, calor fere urens, ruborque splendens, caeteraque Phelgmone symptomata jam antea exposita, inopinato, & sine causâ idoneâ, mitioris indolis larvam induunt, dum revera omni momento temporis, in deterius mutatur morbus.

Tonsillæ enim, partesque vicinae, quae

paulo ante tensae, ruberrimae, succi plenae, tumidae, renitentes, apparebant, nunc repente flaccidae, siccae, inaequales, pallidae, fuscae, livefcientes, & quasi combustae evadunt. Pulsus interea ordine toto deficit vacillatque, quibus superveniunt Tendinum subfultus, Extremorum rigor, sudor glutinosus subfrigidus, anxietas summa, oris spuma, sensus hebetes, tardi, lethargici, & non raro mentis alienatio quaedam, quae praecursorum fidelium instar, mortem inexorabilem ad fores feltinantem accedere annunciant.

Ex dictis satis certum constare arbitror, qualia sint symptomata, quae Anginam summâ inflammatione conjunctam ab ejus accessione, usque ad exitum in Gangraenam desinentem, comitantur.

De his igitur satis, nunc apte atque ordine, de aliâ hujus morbi specie, à priori longe diversâ, nonnulla breviter animadvertere aggre-diar.

Est enim ea Anginae species, quae cum illis a nostro auctore in hoc loco expositis, potissimum convenit; & cum verisimillimum videtur, hanc a nullâ aliâ causâ deducendam posse, quam ab aëre circumfuso, & alicujus rei contagione quâdam inquinato, haud improprie Anginae contagiosae nomen meretur.

Hic morbus nemini mortalium parcit, præ caeteris tamen infantes, foeminas molles, defidiosas, juvenes tenellulos, virosque laxos otio & crapulae indulgentes adoritur.

Inci-

Incipit verò more Anginae praedictae, plerumque verò horrore leniori, & frigore mitiori. Febris autem, quae subsequitur, licet minus acuta, & minori inflammatione conjuncta sit, nihilominus praeter ordinaria illa naufragae, vomitus, aestus, rubedinis, sitis, linguae albidae, fuscae, & inquietudinis symptomata, semper fere vultum inflatum, animi defectiones saepe recurrentes, dolores Capitis graves, seu vertigine stipatos, Cervicem rigentem, & haud ita multo post, tumidam longè conspicuam, cunctisque notabilem, plus minusve comites habet.

Interea id animadvertere oportet hanc febrem paroxysmorum mores & consuetudinem, ut plurimum imitari; licet enim ex symptomatibus praemissis, nonnulla per totum diem aegrum excrucient, tamen vesperi & per noctem acriora instant, & se periculosius exacerbata sentiri faciunt, quae crastino mane, obortis glutinosis, olidis sudoribus, quodammodo allevata videntur. Obrepit autem omni horâ malum, jamque his occurruunt faucium ardor mordens, Tonsillarum, Uvulae, partiumque vicinarum tumores rubro splendentes, molles, inaequales, Emphysematis instar tumentes, & speciei potius inflatae, quam vere inflammatae signa prae se ferentes.

At nihilominus dum haec fiunt, observatu dignum est, hujusmodi aegrotos minori incommodo respirationem & quod devorandum sit, conari, & perficere, quam ratio & symptomata suadeant.

Interea Anxietas Praecordiorum continuo crescit, Respiratio devenit suspiriosa, Vox veluti ex Guttur venereo ulceroso raucum quiddam clangens prodit; & in hoc rerum statu diem circiter tertium, aut quartum, nunc serius, nunc oxyus efflorescentiae, quales Erysipeli communes sunt, aut Ostri instar splendentes, Cervicem, Humeros, Artusque superiores occupantes, Exanthematibus mali moris saepissime coniunctae, sese oculis subjiciunt: His aliquando furtim anteit, ut plurimum autem succedit cito & inopinata Tonsillarum, &c. detumescentium facies, insidiosâ quidem symptomatum quorundam remissione sociata, Faucium quippe color vividus, coccineus in fuscum & cineritium mutatus, & Glandulae ibidem sitae, stigmatibus albis per omnem eorum ambitum dispersis obsitae, indubitate **Gangraenae** praesentis periculosissimae indicia praebent.

Porro tam rapido cursu nonnunquam fertur hic morbus putridissimus, ut post aliquot horas ab ipso incursu, circa tonsillas & posteriores Faucium partes, quaedam stigmata apparuissent overim, quae ut ut albo-flavis Abscessuum simplicium Apicibus aemula essent, acu tamen chirurgico pertusa, se sinceras Carnis emortuae esse Escharas demonstrarent, & proh dolor, solummodo ulcerum sanosorum, malignorum, speciosa tegmina, introrsum nil nisi turpe inest.

Hinc ille Faetor oris cadaverosus, hinc illi Halitus contagiosi, hinc denique illae Fluxiones

nes acres, sursum & deorsum omnia membra
& viscera depascentes.

Praemissis his, propriam animadversionem desiderare videtur altera Anginae contagiosae species, quae paſtim à Medicis, ſicuti id a nostro Auctore, malis exemplis inducto, perpetratum videmus, ſine discriminē ad poſtre-mam modō deſcriptam omnino referri ſolet; perperam ſane, alios enim Parentes, alia Jura, atque alia Auxilia agnoscit; in illâ, de qua jam ferro fuit, Angina eſt morbus primigenius, ab ipſo initio tonsillae rubent, dolent, tument, & tandem citius, nunc ſerius in Gangraenam definiunt: *In hâc autem, alia res eſt, quamvis aegrotum a prima acceſſione omnia Febris putridae ſymptomata edidiffe liqueat, quamvis & plures dies, imo septimanaſ haec durafſe certum fit, nulla tamen interea à cibis devorandis Querimonia, nulla Tonsillarum aut Faucium dolentium ſuspicio, ne ſimilis morbi vestigia quidem ulla adsunt, tandem increſcente morbo, & auctâ putrida humorum pravitate, Faucium ardorem quendam levi prorsus in muueribus obeundis impeditiōne coniunctum, ſe primum ſentire fatetur Febricitans.* Alia nunc ſymptomata alia trudunt, non ſolum Tonsillae, Uvula, & Fauces ſe in conſpectum dant, maculis albis, fuſcis, cineritiis obsitas, quin oris, aefophagi internam ſuperficiem speluncis innumeris ſaniei tenuis, faetidae, plenis, ubique ſcatere patet. Continuo ex loco in locum ferpit virus, viribus-

busque simul eundo acquisitis, partes sacerdae adeo citissime in eandem calamitatem cum vicinis deveniunt, ut aegrotum jam medio in discrimine mortis versatum, miseranda luctantis Animaे conamina pati videre minime mirum sit.

Pag. 57. l. 25. In Tonillarum Gangraena.]
 Cum medendi ratio hic proposita Anginae, seu summe inflammatae, seu contagiosae, Tonillas occupantis, & Gangraenam minantis, haud bene conveniat, nonne suspicari fas sit, Autorem aliquā cum incuriā egisse, omnes has Anginas fere in unam confundendo, licet certae fidei res sit, se adeo inter se se dissidere atque discordare, ut quā methodo aegrotum una specie laborantem liberaveris, alium alterā detentum, eādem ipsā, ut plurimum e medio tolles; quapropter monita pauca, quae in his morbis medendi magis ex usu essent, hoc in loco subjungere, milii videtur esse alicujus momenti.

De Anginā summe inflamatā antea dictū est, porro si Praxi, de cuius laudibus tanta cum industriā jactitarunt quidam medici nuperi, adhibenda sit fides, ex faecundis vini generosi calicibus petenda est Anginae contagiae sanatio, ab ovo usque ad mala clamitant, Io Bacche, huic numini in posterum cedat Apollo. Quid non? Operta recludit, malignis Faucibus, non minus quam sollicitis Animis, onus eximit: Medicis hisce bibulis ducibus, nil desperandum, spes jubent esse ratas.
Esto.

Estote Pueri aut Puellae, estote Viri aut Mulieres, oh felices ter & amplius, nunc vino repellite morbum. De nugis autem in viam redire tempus est.

Imprimis igitur notatu dignum est, quod ex Auctoris nostri consilio Sanguinis missione & Alvi purgatione incipiendum est. Haec medendi ratio, si urgeat simul Dolor Capitis, & rubeat Vultus vel inflatus sit, procul dubio conveniet, etiamsi ex pulsu tali exinanitione indigere non videatur morbus, aliter Delirium est in propinquuo.

Pari etiam ratione Pulsui nequaquam est fidendum, si laboret aspera Arteria, difficulter enim propter arctatam fistulam per Pulmones transit sanguis, ideoque ejus copiam minuere est maxime necessarium.

Denique in hujusmodi Anginae curatione id maximi est momenti, ut medicus perquam diligenter animadverteret, an aegro cutis sicca & arida, an magnō calore conjuncta, an pulsus celer & durus adfint? Rebus enim ita se habentibus, hoc quoque monitum pro certo adjicere possum, Corticem Peruvianum damnum plane admirandum secum attulisse, quicquid contra suadeant urgeantque tristes Gangraenae confestim adfuturae Minae, neque unquam tutum habuisse locum, usque dum morbus remissionis, vel potius certa quaedam decessionis signa dederat.

Ab his autem longissime diversa est morbi natura, ubi loco symptomatum praedictorum ad-

adsint Oculorum & Faciei pallor, aegritudo Ventriculi, facilis in Animi deliquia Procli-vitas cum pulsu celeri & debili, ut saepe accidit. Omittendae nunc omnino sunt Sanguinis Detrac^{tio} & Alvi Purgatio, & earum vice exhibendus est Vomitus, atque eo peracto, ut quiete, viriumque refectione quadam patiatur aeger, danda sunt Cardiaca & Anodyna.

Praeterea, quamprimum id fieri potest, Deco^rto Pectorali, adjuncta Oxymellis simplicis q. f. frequenter colluendae sunt Fauces; & creberrime haurienda est potio Riveriana dieta, additis simul Pulveris e Contrayervae compositae, pulveris Corticis Peruviani, vel ejus Extracti, aut Confectionis Cardiacae granis quibusdam, ea ratione, quâ postulent vires.

Hac curationis viâ per diem unum alterum-ve procedendum est, donec videatur, quae sit natura mali, summumque quid ejus. Si enim ex faucibus atque tonsillis inspectis, aliis-ve ex symptomatibus praedictis imminentis Gangraenae adsint indicia, statim omnis tentanda res est, quâ vires vitales & humores circulantes ad statum naturalem instaurentur, eodemque tempore non minus cavendum est, ut materiei putri, saniosae, tutus concilietur exitus, ne vel ejus mora in Ulcusculis faedis, Partes vicinae sincerae trahantur, vel ex ejus suetu per Vasa resorbentia pessima accendatur Febris.

Cum vero ex prava constitutione morbi talis virium instauratio & humorum emendatio uno im-

impetu non expectandae sint, ideoque etiam*sí* medicamenta Cardiaca, Diaphoretica & Anti-septica dicta, omnino dare necesse sit, qualia sunt Radices Contrayervae, Serpentariae Virginianae, Cortex Peruvianus, Confectio Cardiaca, Acidis Vegetabilibus aut Mineralibus sociata, tamen ex his mitiora eligenda sunt, & sensim ad fortiora progredi oportet, donec quantum postulent vires ex symptomatibus planius pateat.

Praeterea, ut natura ulteriore Gangranæ indolem aut progressum impedire, & simul mala inde nata expellere proritetur, consulto nitendum est, ut *Gula*, seu potius tota Cervicis Regio pannis laneis, ex Decocito Foliorum Scordii, Absinthii, Florum Chamaemeli, cui Aceti portio decima admisceatur, calidissime expressis, per horam dimidiā foveatur, & dein ut superimponatur Cataplasma ad hanc normam praescribendum.

R. Farin. Semin. Lini in aq. commun. coct.
S. A. ad idoneam consistent. ibis. Theriac.
Andromach. Živ. Acet. optim. Žli. m. f. Ca-
taplasma.

Sexta quâque horâ repeti debent & Fotus &
Cataplasma.

Dum haec fiunt, Vesicatoria pone aures
ponenda esse nequâquam praetermittendum aut
negligendum est, super haec etiam, & ejus-
dem generis Emplastra Colli Vertebris, Bra-
chiis, Carpis, Femoribus, & Suris, eo ordi-
ne & ratione admovenda sunt, quibus natura
in

in hoc morbo dirissimo plerumque languescens,
vires ad fese rite exerendas idoneis acquirere
queat, fin autem hisce stimulis parum profe-
cissee videamur, at e contrario, ex stupore aut
torpore, cum pulsu celeri, debili, inaequali
aut intermittente, vires vitales plus & plus
deficere pateat, tum profecto capiti derafo
emplastrum vesicatorium acre simul imponen-
dum est.

Frequens Gargarismi emollientis, detergen-
tis & antiseptici usus, & aliquando syringis
ope in infantum os & fauces caute injecti, per
varios hujus morbi cursus requiritur, ita qui-
dem, ut urgente materiae tenuis & acris aut
faniosae copia, singulis vel alternis horis re-
peti debeant tales faucium ablutiones, & prae-
cipue priusquam ipsi aegroto vel medicamenta
vel nutrimenta assumere permissum sit, ne si-
mul cum iis, vel in stomachum descendat, vel
late serpendo asperam Arteriam aut Aesopha-
gum male afficiat, vel pressura cruxtarum in
venas recipiatur putridum virus.

Hoc per totum morbi cursum adeo sedulo
observandum est, ut se gargarizare, & caput
erigere, vel efflagitatu vel vi cogendus est
aegrotus, ipso somno subinde de industria fu-
gato.

In acidis etiam exhibendis notandum est,
quod infantes, mulieres laetae, & delicatissi-
mae, senes infirmi, aut cachectici, virique
etiam molles, desidiosi non pauci, se dapibus
& pulpamentis pascentes, acida male ferunt,
&

& morsu aut dolore ventriculi & intestinorum ab iis assumptis laborant; licet modica tantum copia exhibeantur. Cum his itaque perparva portione incipiendum est; & revera primam semper gustare debet medicus, ob varias horum medicamentorum vires, quae sub eodem titulo in officinis servantur.

Alvus interea vel subducenda vel constipanda est, prout postulent febris & aegroti vires; hujus enim praecepti semper memorem esse medicum oportet, quod caeteris paribus, quo debilitas major, eo minus laxanda est alvus. Sin autem ex delapsu humoris acris, purulenti, in intestina, excitentur dolores colici, non prorsus improbanda sunt ea, quae alvum lenissime moveant, qualia ex Manna, Rhabarbaro, & similibus petenda sunt; finita autem alvi subduktione, lenia anodyna statim exhibere utile est.

Eadem res, meo saltem judicio, in tali casu tutius fit, ventrem emollientibus clysteribus laxando, Diarrhoea enim nequaquam excitanda est, at profecto cane & angue pejus vitanda; quippe hujus vi nimis exhaustiuntur humores, nimisque exsiccatur & debilitatur aeger; imo à saniosa materia deglutita, tanta saepe intestinis infertur injuria, ut insanabilis aliquando inde producatur ventris fluxus, modo colliquans, modo dysentericus, hoc vero raro accedit, nisi sub morbi decessione; sin forte tristissimus ejusmodi casus se coram me-

F

dico

dico sistat, p[ro]ae caeteris valeat Decoctum in hunc modum praescribendum.

R. Radic. Chin. Sarsaparill. C. C. C. ana
zi. Gummi Arab. 3ss. Cortic. Cinnamom. pul-
ver. 3iii. Aq. puriss. tbii. Decoque ad tbii.
& dein Colatura[re] adde Sacchar. albiss. 3ss. m.
f. Decoctum, cuius Cyathus frequens, prout
res exigant, dandus est; vel si validioribus
auxiliis opus sit, adjiciendum est aliquod ex
Mithridatio, Theriaca Andromachi, Electario
e Scordio, aut specie e Scordio cum vel sine
Opio, & similibus. Experientia enim saepe
comprobavi parum valere Astringentia fortio-
ra, quippe Intestina laesa horum vi ad dejec-
tiones frequentiores stimulantur.

Ex usu autem sunt Clysteres huic propo-
sito idonei, bis vel ter quotidie immittendi,
scilicet.

R. Jusc[er]ul. Vitul. 3vi. vel 3viii. Mucilag.
Sem. Psyll. Cydonior. 3ii. Electar. e Scord.
3ss. m. f. Clyster. Vel.

R. Gum. Arabic. 3i. solve in Jusc[er]ul. Vi-
tul. 3vi. & add. Electar. e Scord. 3ss. m.

Cum remedia incrassantia dicta apud medi-
cos hodiernos nullo sunt in honore, & jam
exolescunt, eo quod ventriculum aggravare,
vasorum lacteorum oscula obturare, & spiri-
tum angustum difficilemque reddere dicuntur,
mirum forsan videatur, me haec tanti fecisse;
at profecto in hoc, atque aliis hujusmodi mor-
bis putridis, ea non exigui fuisse emolumen-
ta affir-

affirmare haud vereor. Humores enim acries tum diluunt, & obtundunt, tum acidis assū mendis, quae in hisce febribus mali moris ne cessario postulantur, optimum praebent tutamen, ne eorum usu nimis stimulentur intestina: Hoc quidēm incommodum adeo hujusmodi medicamentis praecavendum est, ut remedia acida, quae in corrigenda humorum putredine saniosa, sibi ipsis Palmæ gloriam profecto arrogant, multò majori copia assumi possunt, quam si cum solis aquosis potionibus exhiberentur.

Interea sit *Victus ex Avenae, Hordei, aut Oryzae juscule, cum vini Rhenani, Montani, vel Canariensis pauxillo.*

Vetat enim morbi Indoles, ut Diaeta tam tenui tractandus sit aeger, ac si summā inflammatione laboret; omnibusque autem concedi debet liquidorum lenium viribus quassis reficiendis & symptomatibus demulcendis aptorum copia grata.

Curatio Anginae contagiosae secundae specie, licet magna ex parte, cum iis, quae jam proxime exposita fuerunt, conveniat, tamen has differentias, notatu proculdubio dignas, recipit.

Imprimis aegri hoc morbo laborantes Emplastrum Vesicatoria male ferunt, quae vel ex toto omittenda, vel multo minus audacter sunt admovenda; eorum vice autem, si viarium languor postulet, utilissime supplent Siapismi.

2125

F 2

In

In hoc autem tristi casu , Remedia , quae ad sequentem normam confecta fuerunt , prae caeteris omnibus mea vota ad bonos exitus ducere solebant , augendo vel diminuendo omnium aut singulorum copiam , prout postulent aegrotantium aetas & status & res .

R. Summitat . Rorismarin . Flor . Lavendul . recent . ana ʒii . Radic . Contrayerv . Rad . Angelic . ana ʒſs . Gum . Arabic . ʒvi . Aq . commun . bullient . ʒxii . post macerationem in vase clauso , liquorem frigefactum cola , & adde Vin . Croc . ʒiii . Acet . Vin . alb . ʒſſs . (seu Elixir . Vitriol . acid . q . f . ad idoneam aciditatem) Syrup . Croc . ʒſs . f . mistura , cuius exhibenda sunt Cochlearia quatuor tertia vel quarta quaque horā .

Sin autem his non cedat morbus , sed propensio ad Gangraenam potius incrementum capere , & corpus sudoribus viscidis disfluere videantur , ad sequentia confugere necesse fuit .

R. Ligni Guiaci rasi drachmas duas , Corticis Peruviani in pulverem triti fescunciam , Aquae communis libras duas ; decoque ad libram unam , dein adde Radicis Serpentariae Virginianaee in pulverem contusae unciam dimidiam , Foliorum Scordii manipulum unum , Tincturae Cinnamomi ʒii . post macerationem in vase clauso per horam unam cola .

R. Infusi colati fescunciam , Confectionis Cardiacae , vel Damocratis , vel Electarii e Scordio scrupulum unum , vel Theriacae Andromachi scrupulum dimidium , Kermes Minerale

ralis a grano dimidio ad grana quinque vel sex,
Syrupi Croci drachmam unam misce fiat Hau-
stus, quartâ vel sextâ quaque horâ sumendus.
Horis autem intermediis decoctum sequens ad
uncias duas singulis vicibus assumi debet.

R. Radic. Chin. Sarsparill. Santalor. Ci-
trin. ana ſfs. Gummi Arabic. ʒi. Aquae com-
mun. tbs. & coque ad partes dimidiis, dein
cola, & adde Aceti Vin. alb. ſiſſ. vel Succ.
Limon. recent. ʒi. Aquae Cinnamom. Spirit.
ʒii. Syrup. Croc. ʒi. misce.

Si malâ fortunâ Kermes Mineralis deficiat,
ejus loco substituendum est Vinum Antimonia-
le, ea ratione, qua Ventriculus id sine nausea
ferret. Sin autem in his eligendis optio ali-
qua fit, & potestas, primum locum proculdu-
bio tenere debet Kermes Mineralis, utpote
tutius & felicius votis respondens.

Hac vel simili medendi ratione, forsan usque
ad morbi exitum, faltem ad ejus crifin, quod
tempus pro certo determinari nequeat, per-
gendum est, attentâ interea adhibita observa-
tione, haec omnia adeo caute & cogitate fieri,
prout ea aegri viribus & febris constitutioni fint
maxime congrua: Nimirum, si adsit debilitas
nimia, Cardiacis, Antisepticis & Stimulantibus
succurrendum est, si urgeant vigiliae &
inquietudines, anodyna addenda sunt, si, plus-
quam par sit, saeviat febris, augenda est Aci-
di copia, quod cum Cardiacis moderatis &
obtundentibus commisceri debet; si pro sympto-
matum ratione clausa nimis sit Alvus, immitta-

tur Clyster , quo rejecto statim danda sunt Anodyna lenia ; si è contrario nimis soluta sit , exhibenda sunt remedia idonea ex Electario e Scordio , Theriaca Andromachi , & similibus , ut antea monitum fuit ; non tamen prorsus ob- stipanda est Alvus , sed tantum moderanda Diarrhoea , ne vires nimis exhaustiat .

In illa autem Anginae specie , nec non & febris putridae prole non minus exitiali , quae pulsu celeri & debili , sudore glutinoso largo & ferè perpetuo : Capitis & Pectoris regiones praesertim occupante , respiratione suspiriosa , & cruento missò minus aequo cohaerente , comitata est ; medicamenta Cortice Peruviano praecipue conjuncta , & libere exhibita , interpositis nonnunquam quibusdam ex praedictis , mira prorsus fecisse comperi .

Finem his imponam , postquam monuero ulcera saniosa & crustas emortuas , iisdem fere remediis internis & externis , ac in priori spe- cie modò recensitis , ut plurimum indigere , auctis , solummodo in plerisque casibus , acidi copiâ seu viribus , utpote , non solum contra partis singularis , sed adversus acrem putre- que totius corporis habitum strenuo pugnan- dum est . Etenim adstantis medici haec Ars , atque hic labor erit , utinam & his unitis cer- tae aegrorum saluti consulere possit .

Pag. 57. l. penult. *Vulneribus satis profundis scalpello incidere.]* Crustae hae emortuae vix ac ne vix quidem scalpello aut exedentibus vel adu-

adurentibus medicamentis tractandae sunt, talis enim medendi ratio rarissime tutum locum habet, & plus nocere quam prodest solet, nisi maxima cum cautione, & levissima manu adhibeatur, quando naturâ annuente, & quasi viam monstrante, resolutiones & purgationes mortuarum a partibus vivis jam semel inceptae talia auxilia desiderari indicant. Neque parvi interdum est momenti diligentissimam adhibere curationem, ut fauces jam in plurimis locis nudaे, exulceratae, & valde sensiles factae, nunc gargarismo emolliente, nunc & vaporum, ex eodem bulliente, inspiratu, subinde foveantur, & linctu mucoso contra omne acre & irritans, quantum fieri potest tutentur.

Pag. 57. l. ult. *Adjecta mellis Aegyptiaci aliqua portione.*] Tantus aliquando adest in Tonfillis & Faucibus putris humor, ut ab hoc remdio, licet bene excogitato, opem fatis opportunam obtinere frustra expectet medicus, fat bene, at non fat cito movet; interea contagio ulcerosa Labem in vicinas partes integras raptim dat, & dabit in plures; quapropter mihi dia in usu fuit ad hujusmodi misturam promptissimi auxillii gratiâ, confugere, quae rarissime spes meas fecellit. Rx. Mel. Rosar. 3vi. Tinctor. Myrrh. 3i. Balsam. Peruvian. Di. Spt. Sal. Marin. ab gut. decem ad quinquaginta vel sexaginta. Misce.

Hujus guttas quasdam ope Penecilli in crutas immittere sufficit, quod iterum atque ite-

F 4 rum,

rum, prout exigat occasio, repeti debet, nec minus studii ac operae impendere oportet, ut subinde in fauces introducantur linctus mollissimi mucosi, quae ulcerum fordes abluere, & dolores fedare valeant.

Pag. 58. l. antepen. *Strangulatio faucium.*] Hic morbus licet solo strangulatu se prodere dicatur, tamen febris valde acuta, & dolor capitis magnus ut plurimum sese comites huic addere solent. Unde non mirum est, aegrotos hac anginae specie laborantes, nisi summis tractentur exinanitionibus & citissimis, misero cruciabilique exitu perire.

Est autem alia hujus morbi species, quae a medicis socio dignatur honore. Haec quidem non a vasorum constitutione firmâ strictave nimis, sed ab eadem laxa nimisque debilitata ortum profecto dicit. Haec autem angina, alia est quam simulat, & plerumque aegros diuturnis morbis exhaustos aggreditur, & mortem fere semper praenunciat, vix unquam sanantur hi aegri, his porro unica spes salutis futurae, in medicina diaietetica, remedii mucosis & dolorem sedantibus conjuncta, ponenda est.



CA

C A P U T V.

De morbis pectoris.

De Asthmate.

Pag. 60. l. penult. *In gravissimam dyspnoeam sunt delapsi.*] Haec differentia adeo notabilis, Pulmonis tensui plus aut minus tenero, ut vult Auctor, vix adscribenda est. Experientia enim satis abunde patet, quod permulti homines robusto & athletico corporis habitu gaudentes, at infeliciter Asthmate quodam labrantes, quamdui veluti ruris incolae sub atmosphaera serenâ, siccâ, & resiliente vi præditâ vitam colunt, male se habeant, & paroxysmos asthmaticos saeviores & saepius recurrentes patientur. E contrario autem, iidem urbanam vitam degentes, atque aërem nebulosum, crassum, carbonum fumis & sordibus omnium generum inquinatum respirantes, ad negotia ordinaria fatis alacres & habiles sunt, & vix anhelant.

Ex alia igitur stirpe potius quam propria Pulmonis sensibilitate petenda est hujus discriminis ratio. Ejus autem origo verissima, meo faltem judicio, iis viribus praesertim debetur, quibus humorum motus & circuitus plus aut minus promoveantur, prout hae diversa aëris

ambientis constitutione & temperie diversimode afficiantur, & incitentur.

Quis enim hodie tam ignarus, qui non novit Vasa corporis humani ea ratione magis magisque comprimi, qua densitas aut vis aëris resiliens augeatur, unde Sanguinis cursus ad Cor, & exinde ad Pulmonem, adeo de die in diem acceleratur, ut tandem fiant humorum ad pectoris regionem major congestus, major attritus, atque major calor, quam cum libera pulmonis explicatione convenire fas sit; ex quibus omnibus evenit, aegrotos asthmaticis paroxysmis subinde obnoxios, frequentiores & fortiores hujus morbi reditus experiri necesse esse, prout eorum vires circulantis sanguinis progressum plus nimio properare sollicitentur.

Illud igitur jure haud mirum videatur, quod plurimi anheli rus in odio magno habeant, & quasi terrore perculsi, pedibus, quadrigisque, apud Lares in urbe sitos se refugere festinent, non, ut supra exponere conatus sum, quia tales asthmatici pulmonem minus sensibilem habent, aut acribus vaporum sphaerae circumfusi minus offenduntur, & irritantur; sed quia sub constitutione aëris amplissimae urbis tecta ambientis, à molis movendorum circuitu mitiori & tardiori multo minus caloris & attritus in Pulmone excitatur, ita quidem, ut va-
sis respirationi inservientibus nihil sit inde quicquam incommodi.

Quicunque igitur hujusmodi paroxysmorum immunitatem quandam sibi ipsis dare vellent,
hit

his urbana haec vivendi conditio p̄ae caeteris omnibus experienda est; utpote ad omnia ea munera, quae profecto ad pulmonem usque pertineant, absolvenda & nisu fere naturali perficienda, quam maxime conserret.

Pag. 61. l. 12. *Multiplex hoc malum.]* Quamvis Asthmatis causae remotae inter innumerabilia mala forsitan ponendae sint, tamen hae, seu seorsim, seu agmine factō sumptae, in eodem termino convenient: Etenim haud alia res agitur, aut inde indicatur, quam quod respiratio evadit impedita & laboriosa, vel quia ipse pulmo laboret, seu ex vitio vasorum, quae ejus compagem constituant; seu humorum, qui per ejus canales, licet integros, libere transire nequeunt; vel quod fibrae, quae idoneae hujus visceris explicationi inservire debent, non amplius functiones sibi ipsis proprias more naturali perficere valeant. Idcirco vix fieri potest, quin Asthma ad quatuor solummodo species referre oporteat, quatenus hoc malum similem cum Peripneumonia verā aut adulterinā natūram participet, aut quatenus partium *nonnullarum* & *nervorum* *quorundam*, respirationi inservientium, resolutioni aut distentioni debeat.

Veruntamen illud quoque adjungere non inutile erit, quod inter sententias de variis Asthmatis speciebus curandis, haud contemnenda est ea dijudicandi & medendi ratio, quam satis apte instituerunt quidam medici, qui prius-

priusquam se ad hunc morbum curandum accingant, huic potissimum insistunt, ut quaerendo investigent, an Asthma sit continuum, vel recurrens more paroxysmorum, temporibus certis aut incertis, & quicquid horum erit, an sit siccum vel humidum. Nam omnes hae species ipsis suis qualitatibus, seu symptomatibus claris & apertis, non Medico solum, sed cuivis Pharmacopole adstanti se palam faciunt.

Pag. 61. l. 14. *In sanguinis detractione.*] Pulsus in hoc morbo semper creber est, nonnunquam autem validus, scilicet cum sola laboret Arteria Bronchialis, si vero simul debilis sit, & inaequalis, si facies rubore suffusa, sive inflata sit, semper afficitur tum haec Arteria, tum ipse Pulmo; & proinde gradus mali in hoc morbo non a forti pulsus ictu, ut in quamplurimis aliis aestimandus est, sed potius ex ejus debilitate, frequentia & inaequalitate, ratione interea simul habitâ ad difficultatem, quâ spiritus trahitur, nec non & ad pulmonis obstructa vasa, ex quibus fit, ut sanguis in suo transitu ibi sistatur, & debita copia non redeat ad Cor.

Recta igitur curatio sanguinem mittendum esse inter initia postulat, ut diminuta vasorum plenitudine, periculosus pulmonis attritus simul minuatur, licet pulsus arteriarum hanc exinanitionem haud indicare videatur. Secundo maximi dein est momenti, Vomitum elicere, aut Alvum ducere. Prae caeteris enim mortali-

talibus, qui pleni, otiosi, pigri, & pituitosi sunt corporis habitus, quorum vasa, praecipue quae pulmonis compagem constituunt, pituitâ aggravantur, vel quorum sanguis quâcunque de causâ impetu majori in vasa infarcta propellitur, Asthmati sunt obnoxii; & eo plus, si his addatur Crapula & ingluvies vespertina, vel frigoris nocturni corpori calefacto applicatio, aliisque similia, quae hunc morbum adhuc latenter non raro e tenebris educunt.

Pag. 61. l. 15. *Vomitus etiam.*] Medici non pauci, uti autor noster & pharmacopoei fere omnes statim post sanguinis missionem vomitum elicere solent; quod periculosum opus est, & atro carbone notandum. Nec id temere a me actum esse judicabit quisquam, qui ad ea, quae sub hujusmodi morbi paroxysmis in pulmone fiunt, animum diligenter adverterit. Nihil enim a pulmone ope vomitus revera ejici queat, prodeesse quidem per accidens possit talis medendi modus, quatenus concusso scilicet pulmonis agitetur pituita, quo minus forsan ad vasorum latera adhaerescat, unde spiritus brevi post, non solum paulo facilior trahitur, quin exscreatu aliquando educitur pituitae pauxillum; quamobrem si malum leve sit, & absit febris, vomitum ciere nonnunquam levamen quoddam attulisse compertum fuit, sin vero jam inveteraverit morbus, vel penitus se insederit, & febre simul comitetur, brevi redintegrato impetu, & tam fortiori quidem, rever-

vertere solet, ut vix ulla erit aegro convale-scendi spes, quod omnibus fere accidisse novi, quibus post vomitum cito redierit notabilis spi-randi difficultas.

Pag. 61. l. 29. *In ipsis accessionibus.] Medicamenta, quae hic ab initio exhibenda esse, sualit Auctor, mea sententia, dum magnus adsit anhelitus, parum prosunt; imo quae hu-jusmodi aegrī ad exscreationem tum temporis promovendam, (uti pluribus medicis mos est) haurienda dentur, magis obsunt; nihil enim, rebus sic se habentibus, expuere possunt.*

His igitur nugis speciosis nullam debemus adjungere fidem; praemissis autem eā copiā exinanitionibus ut antea recensitis, quā postulet res augusta pectoris; ut id dein quod volu-mus, consequamur, ea profecto remedia, ex humectantibus, saponaceis, attenuantibus & exscreationem definite promoventibus, eligen-da sunt, quae ad humores crassos atque tena-ces solvendos, & tussim simul excitandam vi-res idoneas habeant; nimirum ut his auxiliis (inter quae principem locum tenet *Tartarum Emeticum* aut *Vinum Antimoniale*) allatis, a crassa & pituitosa coacervatione liberetur Pul-mo.

Cautione tamen hac omnino opus est, ne in medicamentis praedictis exhibendis, talis fiat Pulmonis expletio, qualis aegrotum in suf-focationis periculum ac vitae discrimen infe-rat, & ne medicamenta adeo sint viribus debi-lia,

lia, ut parum ad sputi screatum efficiendum valeant.

Porro si ex quacunque causa vacillare vi- deantur vires, admovenda statim sunt Vesica- toria, primo Cervici, & deinde si opus fuerit, Brachiis, & Femoribus internis paulo supra Genua.

Ad exscretaionem ulterius promovendam, spongiam, Aceto acerrimo calido, vel Aceto Scillitico madidam, aut Salium Volatilium parvam portionem naribus, vel ori, per vices admovere convenit, ut vapores inde emissi in pulmonem recipientur, vel incumbat aeger pronus in largam pelvim aqua calida impletam, & cui Aceti simplicis vel scillitici parvam copiam admiscere oportet. At heu, omnes illi, qui tali spirandi angustiâ laborant, ab hujusmodi vaporibus, etiamsi multum boni secum afferre possint, obnixe abhorrent.

Pag. 62. l. 15. *Temperamenti aegrotantis, tum ipsius morbi naturae.*] Semper quidem in humoribus solvendis & corrigendis prospicere debemus, ad quod morbi genus praे caeteris inclinet & propendeat aegroti habitus, & remediis indoli maxime idoneis uti oportet, cuius rei unum saltem testimonium proferre libet, viz. Si asthmaticum calido corporis habitu praeditum calidis medicamentis sanare tentarem, nunquam ex voto succedet curatio, in- crescent enim tum obstructiones, tum acrimonia, & crassitudo liquidorum, his insuper & peri-

periculum est, ne vel periculosa dyspnoea vel mors inde producatur, & sic de caeteris instituendum est judicium.

Naturalis igitur corporis humani constitutio & fabrica singularis sedulo investigandae sunt, ut pro certo cognoscatur, an morbus fibris astricis & siccis, an laxis & humidis comitemur, quippe in priori casu, peripneumoniae, in posteriori autem, hydropis aut cachexiae adventus futurus maxime metuendus, & totis viribus arcendus est. Neque de spe aut conatu depelli debet medicus, quippe asthma plerumque symptomaticum se probat, & oritur fere ab omni causa, quam coacervatio ad pulmonem, & suffocatio humorum ad circulos suos rite conficiendos pericitantur, quales sunt tussis diurna, pulmonis scrophulae, schirri, cantus, & alia ejusmodi innumerabilia.



C A-

C A P U T VI.*De morbis cordis.*

Pag. 64. l. 10. Per exiguum temporis spatium.] Motus cordis regularis non solum a palpitatione breve interrumpi, sed aliquando per horas, imo per dies totos turbari potius dicatur. Cor enim, nervis suis aliquando dissensione affectis, non more suo vi certâ aequabili costas ferit, sed ictu tremulo, debili, & quasi undulato celerrime tamen repetito, sanguinem suis cavis contentum expellere nititur. Quicunque manus pectori & carpo miseri cuiusdam sub hoc morbo vitam anxiam anhelam trahentis admoverit, rem prorsus sic se habere, dubitare nequeat.

Pag. ead. l. 11. Ex causis ad nodum variis haec ortum habet.] Cum Cor palpitare inter omne constat, quotiescumque ejus vasa majora & propinqua ad liberum sanguinis transitum conciliandum inepta redditia sint, omnes haec causae, utcunque variae, ad subsequentes referri debent. Etenim Cor propriis suis officiis, more naturali, fungi nequeat, vel quia ejus vasa dura & astricta, flaccida & resoluta nimis, vel spissis humoribus nimis farta, vel quia partium

G

vici

vicinarum tumoribus aut spasimis praecipue
& impedita sint.

Haec autem investigare & dignoscere magno
ex usu erit, quippe his cognitis, consentaneam
medendi, seu mitigandi rationem postea
instituere, haud ardua res erit.

Pag. 64. l. 14. *Interdum polypus.*] Ubi polypus hujusmodi locum habeat, hisce fere
signis sese prodit. Plus aut minus adest cordis
palpitatio, quae pulsu veloci, debilissimo,
semper inaequali, saepe intermittente, respira-
tione anhelâ, continuâ, & post pastum aut
exercitationes, ut ut mites, in deterius ver-
gente, pro certo comitatur.

Peg. 65. l. penult. *Vix autem aliae quaevis
exinanitiones.*] Cum in cordis palpitatione,
sanguis ratione quantitatis aut spissitudinis in
primis peccare solet, missio sanguinis vix &
ne vix quidem a medico praetermittenda est;
aliae autem, ut sapienter monuit autor, exinanitiones,
veluti, quae ex vomitu, aut alvi
subductione ortum habeant, prorsus vitandae
sunt, & profecto rarissime cum aegroti salute
in hoc morbo adhiberi queant, nisi cujusdam
cibi ingurgitati, aut materiei acris, noxiae,
venenofae, in ventriculo & intestinis hospi-
tantis, indubia adsint indicia.

C A

C A P U T V I I .

De morbis ventriculi & intestinorum.

Pag. 67. l. 3. *In morbis Ventriculi.*] Morbi, qui Ventriculo injuriam inferunt, distingui debent, primo in Acutos & Lentos, 2do in eos, qui primo loco hoc viscus laedunt & obsident, vel secundo afficiunt, ut Cachexia biliosa, hydropica, pituitosa, variarum febrium contagia, materies podagrifica, ulcerosa, saniosa, aliunde nata, & huc delata, aut apulsa, & similia. Vel 3to ratione eorum, quae devorari possint, ut sunt omnia proprie duritatem vel tenacitatem concoctu difficillima, omnia acria, rodentia, & varii generis venena. 4to ratione Animalium, vel eorundem ovoidrum, quae cum cibo, potuve assumpta, Ventriculum, tanquam proprium hospitium occupant, ibi se alunt, & sustentant, atque vires omnes sibi inimicas prorsus eludentia, diu voraces, mordaces, & infracti manent hostes. Cujus rei indubium praebent testimonium plurima medicorum scripta, nec non & quae de vermis, hirudinibus, serpentibus in actis regalis nostrae societatis habeantur. 5to ratione consensus & connexus cum aliis partibus a spasticis nervorum affectibus, aliisque similibus: Exempli gratia, percuesso Capite, & prae-

G 2

cipue

cipue vulnerato cerebro, cibaria in Ventriculo contenta vomitu rejicit aegrotus: similiter aeger passione illiacâ, nephritica, &c. affectus, saepe Ventriculo laborat.

Pari ratione Scirri, Cancri, ad Hepar, Lichenem, Pancreatem, & seorsim vel communiter pertinentes, Vesiculam Biliariam comprimendo, corrodendo, vel irritando partes sibi ipsis proprias, multa & gravia mala Ventriculo inferre possunt, & dolorem & vomitum excitant.

Ex quibus perspectis, patet omnes causas particulatim persequi, quibus hoc viscus male affiliatur, nec non & curandi rationem singulis his propriam hoc loco minute proponere, à nostro instituto procul alienum esse. Nihilo minus Auctoris brevitatem aliquo modo supplere, qui, ut mihi videtur, nimis perfundōrie munus suum implevit, quosdam Ventriculi affectus perstringam, qui, vel caeteris graviores vel crebriores occurrant, aut qui in aliis medendis facem praebent.

Ventriculo igitur inflammato primas profectio dare convenit.

Atrox autem hic casus, nisi a rebus acribus assumptis, venenis, translatione materiae podagrcae, &c. raro accidit, & plerumque cito necat. Cognoscitur dolore ardente, lacinante, in ipso stomachi loco, insuper & ingravescente, ipso temporis puncto, quo aliquid devoratur, una cum vomitu acerbissimo, statim ab omni assumpto, & frequenti concutiente sanguitu.

gultu. Adsunt etiam Anxetas circa praecordia, summa, & perpetua, Febris acuta, aliaeque Inflammationis periculosae consimilia signa.

Internosci autem pro certo possit Inflammatio Ventriculi a dolore excitato ab acri materie in cavitate sua hospitante: Quippe in priore casu, febris acuta indubii indicis sese prodit, at in posteriore, vel nulla, vel saltem parva adest, in priore dein, praecipue augetur dolor eo tempore, quo aliquid ingeritur, etiamsi Aqua tepida vel Decoctum Hordei tantum fuerit, in posteriore autem, longe alia res est, protinus enim a liquore blando ingestu, acriaque materie commixto, plerumque multum lenit doloris sensus, saltem non exacerbatus adest.

Cum itaque ex dictis pateat, praeceps extium à Ventriculo inflammato imminere, non solum sanguinis missione statim occurrentum est, sed & pro Axiomate habendum, hanc exinanitionem aequa largam instituendam debere, ac in ipsa Pleuritide, eamque quam cunctissime repetendam.

Interea omnia simul, quae a Fomento & Clysterum blandorum emollientium usu fere continuo derivari queant, adhibenda sunt auxilia; diligentissime ab omni acri cayendo, praecipue ab iis, quae vomitum eliciant.

In hoc autem praecavendo, prae caeteris prosunt Clystres, eo quod intestinorum motum deorsum tendere disponunt, qui in hoc casu haud raro se sursum invertere solet. Minime

nime autem Catharticis ore hauriendis tentanda est hujus symptomatis sanatio , quippe horum stimulo augetur Vomitus.

Ad doloris etiam levationem aliquid certi afferre difficillima res est, quippe medicamenta , quibus Opii vis insit, vix tali copia assumenta aut retinenda sunt, ac Doloris atroci- tati sedandae satis erunt.

Restat itaque tantum, ut vel Clysterum ope, vel Fotuum extenorū hoc fieri potest. Ideo- que Alvo , sicut praeceptum fuit, prius sub- ductā , injiciendum est hujusmodi Enema mane & vesperi ; cui , si opus fuerit, addantur Opii grana duo vel tria, vel Tincturae Thebaicae guttae quadraginta vel quinquaginta , non ta- men ita ut constipetur Alvus.

R. Decoct. pro Syrup. e Mecon. 3iv. Ol. e Mucilag. 3ii. Vitell. Ov. parum , m. pro Clystere.

Sub Fotuum intervallis applicetur Epithe- ma , quale est infra scriptum , cum Panno la- neo for iter expresso, quod saepius , quam alternis horis vix repeti debet, ne ea res aegro- tum nimis fatiget.

R. Decoct. pro Syrup. e Mecon. 3v. Tin- ctur. Thebaic. 3ss. Aquae Alexiter. spiri- tuos. cum Acet. 3iis. Misce.

Interea , ne aliquid se notitiae medici simul subtrahat, assiduo advertendum est, haec omnia ita fieri, ut non obstupescat aeger, sed tantum ut tolerabilis evadat dolor. Hoc enim confi- lio , parum licet repudiato , partem affectam clam

clam Gangraenâ corripiendam fuisse mihi detexisse contigit, & proinde augenda vel minuenda est Opii copia, ea ratione, ut Fosus frequenter applicari, simul & Clysteres injici posint, sine inferendo aegrum in stuporem, aut nimiam Alvi astrictionem. Ideoque Clysteres Alvum leniter solventes pro re nata, non nunquam sine Opio, immittendi sunt, vel Eleetarium Lenitivum, aliudve simile priori Clysteri addendum est.

Victus in hoc morbo, non ultra bis vel ter in viginti quatuor horis exhiberi debet, & hic tantum ex Decocto Hordei, Sero Lactis, Decocto Oryzae, Jusculisve mollissimis.

Medicamenta vero, qualia sunt ea infra exposita, non ultra unciam unam una vice exhibenda sunt, sed singulis horis repeti debent; nulla quippe fieri potest Solutio Inflammationis, vel in hoc, aliove viscere, dum in maiorem amplitudinem se extendi cogatur.

Si hac vel simili medendi ratione, & reperita Sanguinis Missione conjuncta, solvi nequeat Inflammatio, vel in Abscessum vel Gangraenam terminabit.

Huic proxime affinis est dolor ille molestus & mordax, qui sensum ardoris in Stomacho excitans, ab humoribus acribus ibidem genitis aut moratis oritur, & aegrotos non raro ad plures annos per intervalla excruciat.

Hi dolores febre immunes sunt, & cibis assumptis plerumque per alias horas leniuntur, donec factâ fere ciborum concoctione,

quod residuum sit, acrimoniam variam diverso suo generi conformem acquirit, ventriculum rodit, & dolores vomitumque creat.

His conductit Ventriculum medicamento emeticō, & Intestina cathartico, aliquoties modice expurgare, & in horum intervallis exhibere medicamenta, quae Acrimoniae speciei contraria sint. *Exemplo rem illustremus.* Si ex Ructu, vel Vomitū, Acidūm probabilem afferre doloris causam pateat, his aegris Magnesia alba, vel medicamenta testacea paucō Sale Alcalino & Rhabarbaro commista, & aquoso Haustu exhibita, maxima praebent auxilia.

Monendi etiam sunt hujusmodi aegri, ut Alimenta causae contraria, & levioris coctionis assument, qualia sunt Juscula ex carne animalium juniorum confectionē, carnesque blandae ejusmodi, ut & cibi ex Farinis & Ovis compositi coctique, aliaque innumera.

Nec minus monendi sunt, ut fructus hortenses, crudos, parum maturos, acidos, aut cito acescentes fugiant, vinaque omnia vel omnino recusent, vel parca copia & multa aqua diluta hauiant. Vina enim omnia in Acetum calore Ventriculi brevi convertuntur.

Impetratis hoc modo per satis longum tempus symptomatum induciis, ad Fontes medicatos, praecipue Chalybeios amandandi sunt hujusmodi aegroti, interpositis simul Herbariū amarā, astringenti, & aromatica virtute praeditarum infusionibus, eā copiā, quae ciborum

borum concoctionem juvent, & Ventriculum non aggravent.

De hoc malo satis dictum arbitror, sequitur ex instituti ratione, ut de doloribus Ventriculi ab acri bilioso ortum ducentibus, pauca notanda sint.

Sub hoc autem ordine comprehendere vellem omnia ista dolorum genera, quae ex humore acri & calido, seu alcalino, rancido, oleoso, seu aromatico, vel vere bilioso extinentur.

Distinguenda sunt more priori, scilicet ruetu vel vomitu talis materiae, qualis in ignem injecta saepe flammat concepit, & quae acrimonia sua amara & rancida stomachum mordet.

Sanandi sunt hujusmodi morbi, primas vias Emeticis & Catharticis prius expurgando, & dein acida multo liquore aquoso diluta exhibendo, qualia sunt Chrystillus Tartari, Sal Polychrestum, Tartarum Vitriolatum, Tamarindi, Fructus maturi subacidi, Succus Aurantiorum, Limonum, Acetum Vini albi, Elixir Vitrioli acidum, aliaque quam plurima; tandemque ad Aquas praedictas medicatas aegros amandando, ut tum diluatur humorum Acrimonia, tum roboretur Ventriculus.

Raro autem opus est, ut medicamentis amaris, vulgo dictis Stomachicis, tractentur hujusmodi aegri, plerumque enim plus justo carent, unde putrescent assumpta, priusquam satis in Ventriculo solvantur.

Interdum equidem ob Ventriculi debilitatem, ita res fert, ut hujus generis remediis uti oporteat; quo casu vix fieri potest, quin Decoctum Corticis Peruviani cum paucis Elixiris Vitrioli acidi guttis praesertim conveniat, vel Infusum Amarum simplex iisdem sociatum, ejus vicem supplere potest, vel loco Elixiris Vitrioli exhibenda est mistura ex Salis Absinthii scutulo uno Succi Limonum semuncia cum medicamentis praescriptis.

His aegris oleosa & pinguis prae caeteris cibis molesta sunt.

Pag. 67. l. 19. *Ventriculo inhaeret pituita.*] Neque ab acribus solis, quin etiam ab omnibus concoctionem eludentibus, & Ventriculum onerantibus oritur dolor, a nulla autem re frequentius, quam a lentae, glutinosae pituitae acetvo.

A caeteris Ventriculi vitiis dignoscitur hocce, ejus dolore gravi, & oneroso, satietate, & cibi fastidio, cum sensu farctaure, etiam si nihil, vel parum cibi aut potionis ingesserint aegroti, & tandem vomitu glutinoso, infestat plerumque vel Virgines, quae aut Menstruorum Fluxu impedito laborent, aut Farracea non fermentata, cretacea, aliaque dura aut insolubilia devorasse se consuevere, de quibus suo loco dicam; vel Senes, qui otiose viventes, & Lautitiarum studiosissimi, largius aequo ederunt atque biberunt.

In hujus morbi curatione igitur aggredien-

da-

da, id primum medico nitendum est, ut primae viae vomitu, & alvi subductione, pro re nata, repetendis emundentur.

Huic fini consequendo, caeteris remediis praestant ea cum Aloë conjuncta, ut Tinctura Sacra, Pilulae Rusi & similia, nisi simul Haemorrhoides adsint, aut se certè futuras esse indicent, quo casu minime utenda sunt, at eorum vice exhiberi debet Tinctura Senae, aliudve simile.

Illud deinde omni conatu dignum est, ut medicamentis Amaris, Aromaticis, Chalybeis, Saponaceis, Abstinencia, & Exercitationibus aptis roboretur Ventriculus, tandemque, si his finitum malum non sit, ad Aquas Bathonienses, vel de Harrowgate, vel ad Aquas Grani, in hujusmodi morbis profligandis longe praestantissimas, aegrotum amandare optimum erit.

Vomitus immanis & pertinax, de quo nunc ordine quaedam ex propriis observationibus practicis deprompta subjungere impellit Animus, definitione non eget. Oritur tamen ut plurimum ab omnibus causis paulo ante expositis, tum a febrili materia nervos stimulante, ut & Affectionis Hystericae Oestrus, & Morbi Hypochondriaci Paroxysmis.

In his omnibus, si plurimum ferveat Sanguis, vena secunda est, deinde lenis proritandus est vomitus, vel ope Radicis Ipecacoanhae, vel Jusculi Pulli, Infusionis Cardui Benedicti, & similium; & tum interposita hora una vel altera

ex

exhibendus est Haustus Riverianus dictus ex Sale Absinthii & Succo Limonum componendus, adjectis simul Tincturae Thebaicae guttis quindecim vel viginti, atque hac medendi ratione aliquando tollitur malum.

Si vero praedictis non cedat, Albusque astricta sit, immittatur Clyster laxans mane & vesperi, ut deorsum sollicitentur Intestina, frustra enim vomitum tollere conemur, dum Albus astricta maneat, porro si hoc ita contigerit, validiori stimulo utendum est. Interea prodest singulis vel alternis horis hujusmodi Haustum in ipso actu fermentationis exhibere.

R. Sal. Absinth. Margarit. ppt. ana gr. x. Succ. Limon. recent. express. 3ii. Aq. Menth. Simpl. 3ss. Tinctur. Cardam. aut Spiritus Lavendul. c. gutt. xx. vel triginta; Syrup. e Cortic. Aurant. 3ss. m. f. Haustus.

Applicetur simul Ventriculi regioni Fotus Aromaticus Anodynus per horam dimidiā, & repetatur sextā vel octavā quāque horā, superimponendo sub intervallis Emplastrum ex Theriaca Andromachi, adjectis Olei Caryophyllorum guttis paucis.

Sin autem admodum debiles sint aegri vires, vice Emplastri applicetur Epithēma ad hunc modum praescribendum.

R. Philon. Londinens. 3vi. Spirit. Vinos. Camphorat. 3xii. Acet. Vin. optim. 3ii. m. f. Epithēma, quod calidum applicandum ope Panni lanei, & quoties exsiccaverint, denuo ut prius admovendi sūpt.

In

In nutrimento exhibendo convenienti sola
Juscula tenuia, eaque parcâ copiâ & saepe
assumenda, sedulo evitando omne acre, &
præcipue ejus generis, quo Ventriculus in
vomitum cieri videatur, vel quod Nauseam
excitet.

Medicamenta Opii vim habentia plerumque
singulis noctibus, & nonnunquam saepius exhi-
benda sunt; cavendum est autem, ne tantâ
copiâ simul ingerantur, ut inde fiat aegritudo,
vel vomitus, quam ob rem ea, parca tantum
portione, & frequenter exhibere melius & tu-
tius est, quâm eandem copiam una vice inge-
rere, nisi adeo saeviat malum, ut inde va-
rum ruptio timeatur. Exempli gratia.

R. Theriac. Andromach. gr. x. Extract.
Thebaici gr. unum; Syrup. e Mecon. q. f.
m. f. Mafsa in tres Pilul. formanda, quarum
una sumenda omni hora, vel hora dimidia,
usquedum obrepat somnus. Nihilominus in vo-
mitu enormi Opium simplex sine quovis liquo-
re devorandum exhibere, & pro re nata repe-
tere maxime convenient, tali quippe more as-
sumptum difficilius vomitu rejicitur.

Quamvis autem hujusmodi medendi ratione
vel tollitur, vel plerumque levatur malum, se-
dulo tamen perpendenda est materies e Ven-
triculo rejecta, scilicet an acida, biliosa, vel
glutinosa sit, quod partim conspectu materiae
viridis, flavae, vel pituitosae, partimque nar-
ratione aegri dignoscendum est; & pro hujus
ratione medicamenta exhibere oportet, qualia
sunt

110 De morbis ventriculi & intestinorum.

sunt iis consentanea, quae paulo ante ad Ventriculi dolores sanandos multum contulisse memoravimus.

Si humor igitur indolem biliosam participet, vel febre quadam putrida laboret aeger, detur Elixir Vitrioli acidum cum Tinctura Thebaica ad hunc modum.

R. Tincturae Thebaicae drachmam unam, Elixiris Vitrioli acidi drachmas tres, f. mistura, cuius guttae quindecim aut viginti cum liquore quodam tenui dandae sunt; vel hujus vice exhibeantur grana quaedam ex Chrystallis Tartari, vel Sale Polychresto, & similibus, adjecto semper vesperi anodynō. Quamprimū autem vomitiū finem facere liceat, Ventriculum roborare oportet modis, & remediis supra expositis.

Quamdiu urgeat vomitus, cathartica medicamenta exhibere raro convenit, quippe Ventriculum irritando Emetica fiunt, si vero talibus uti prorsus necesse sit; dentur ea, quae materiae irritanti maxime sunt adversa, eaque exiguae copiā & saepissime repetenda.

Si vomitus in pravam & assiduam consuetudinem cadat, dein non minus convenit Rhabarbarum manducare, & sensim devorare, ut placide & leniter deorū ducantur, & ex primis viis simul evehantur humores. Neque nihil ad sanationem confert Cochleare unum Tincturae Rhabarbari vinose vel spirituosaē omni nocte, seu quotiescumque opus sit, haurire.

con-

Conqueruntur saepe Mulieres de Ventriculi dolore, os ejus superius circa Diaphragma vexante. Morbus hic haud raro ex Theae, & simili potum calidorum tenuum nimio usu oritur.

Quibus is vitae genus fuit, gradu quodam inflammatur haec Ventriculi pars, & exulceratur, raro autem sanatur.

Prosum multum testacea, humectantia, mollia, tepida assumpta, qualia sunt Pulp. e Chel. Cancr. comp. Julep. e Creta, Decoct. Chiae, Lac Asininum, &c.

S E C T I O I.

Alvi fluxus.

Pag. 68. l. 3. *Ventris fluxus.*] Cum quamplurima monita, quae tam ad Intestinorum, quam Ventriculi morbos rite curandos pertineant, a nostro Auctore simul praetermissa fuerunt, instituti ratio postulare videtur, ut de his quoque pauca proponerem.

Morbi autem, qui Intestina & Ventriculum afficiunt, maxime sunt congeneres & consentanei, & eandem fere patiuntur divisionem, scilicet in acutos & lentos. 2do. in proprios & sibi ipsis peculiares, vel symptomaticos, prout primo seu secundo loco horum tunicis injuriā inferant. 3to ratione causae do-

lorem

lorem excitantis, qualia sunt acria, rodentia, dura, insolubilia & venena. 4to ratione animalium ibi hospitantium. 5to ratione connexus & consensus cum aliis partibus, seu ejus generis sint morbi, qui nervorum detensiones & artus convulsos gignant, ut in Colico aut Hysterico dolore saepe sit; seu qui intestinis nimis relaxatis pendeant, unde inertia evadant, & stimuli naturalis vel factitii haud satis sint sensibilia, ut in Paralyticis non raro videre est.

Ob similem fere rationem fieri interdum novi, ut Mesenterii, Lienis, Hepatis moles contra naturam aucta, nec non & Scirri & tumores omnigeni, per has partes plus aut minus sparsi & dilleminati, comprimendo vel irritando Intestina, eorum tormenta multum augere, vel sistere possint.

Huc etiam spectat materies purulenta, biliosa, acris, melancholica, ab Hepate, Pancreate, vel Liene expulsa, & in has partes inducta, quae dolores, Inflammationes, Diarrhoeas, Dysenterias excitando varios morbos efficiunt.

Ad primum ordinem proculdubio referendus est morbus acutus, qui Cholera nuncupatur, & dicitur adesse, quandocunque tum Intestina, tum Ventriculus ipse, adeo muscularum Abdominis & Intestinorum spasmis comprimuntur & irritantur, ut contenta sua sursum & deorsum valido & quasi perpetuo conamine necessario expellenda sint.

Quamvis a Sydenhamo summis laudibus dignis-

gnissimo, in mensem Augustum tantum hic morbus relegatur, idque praecipue propter fructus hortenses, hoc tempore & aetate praecedente, largâ manu ingestos; nihilominus pura puta hujus morbi constitutio & origo vix hisce causis, tribuenda videtur. Multos enim invadit hic morbus, qui carnes fere solas ederant, & rarissime hujusmodi gustaverant fructus, & hos, haud minus quam eos, qui tales fructus avide voraverant.

Neque huic mensi peculiaris est Cholera, licet in hoc & Septembre prae caeteris oritur. Novi enim quamplurimos hoc morbo correspondtos fuisse in omnibus anni mensibus, maxime vero, quandocunque aeris ambientis temperies tepida, vel calida, subito in contrariam mutata fuerit.

Interea nemo hoc nescit, aere in Augusti & Septembribus mensibus, respectu habitu caeterorum tempore meridiano, plus incalescere, mane autem & vesperi, majori ratione plus frigescere, & proinde cum Ἐπινοοῦ οὐ ποτε εἴη δύο τὸ σῶμα, id quod divinum senem medicorum principem non latuit, & quod hodie inter omnes constat, fieri non possit, quin ex praedictae tempestatis affectionibus, quae quotidie adeo inter se diversae extant, tantumque in hac re agenda varietatem efficere valeant, creberrima & aptissima febri excitandae detur occasio; cuius materies in ventriculum & musculos abdominales rejecta, enormes hos vomitus & intestinorum cruciatu gignit.

H

Quin-

Quinetiam ex singulari consensu, qui inter glandulas in cute & superficie corporis, atque eas in ventriculo, intestinis & abdomine sitas obtinet, haec omnia ulterius illustrata & satis confirmata habentur.

Utcunque autem res se habeat, omni ratione seposita, symptomata & medendi ratio, quae Choleræ propria, haec sunt.

Ingruit enim hic morbus plerumque cum horrore, accendentibus simul vomitu enormi, torminibus, & gemebunda Alyi dejectione. Pulsus aliquando celer, aliquando parvus & inaequalis est. Haec symptomata tanta vi haud raro saeviunt, ut aegrum in viginti horarum spatio interimant.

Curatio postulat missionem sanguinis, & ut largis haustibus Decocti Pulli, Hordei, Avenae, iisque creberrime repetendis eluatur ventriculus; tum ut similium Clysterum frequentium ope, tam contra acrimoniam muniantur intestina, quam materies acris foras exeat, dato postea anodyno, seduloque evitando omne acre, tam sub morbi curatione, quam symptomatum triduo vel quadriduo inclinatione, aut prorsus decessione.

Neutquam enim haec cautio negletui est medico, aliter, & haud infrequenter hunc morbum novi adeo proclivem se recrudescere, ut sudoribus frigidis, animi deliquio, &c. equidem teneretur aegrotus: Solo Opio & Cardiacis moderatis in hujusmodi rerum tristis constitutione impetranda sunt induciae, donec

nec vires aliquatenus reficiantur, & dein commoda Clysterum humectantium ope, caeteris omnibus posthabitibus, sanandus est morbus.

Haec de Cholera iis sufficient, qui magnam ejus affinitatem cum morbis ventriculi paulo ante enumeratis, & iis intestinorum jamjam successuris comparare non gravabunt.

Pag. 68. l. 4. *De illo loquor, qui sine febre est.*] Ἡ δέκατος αριθμός, οὐ κοιλίς πυκνότερος cutis raritas, ventris denitas & vice versa inquit Hippocrates, quippe libere perspirare in omnibus ventris doloribus, exceptā nimiā alvi astrictione, plurimum confert, hoc autem in dejectionibus & spasmodicis intestinorum affectibus praecipue respiciendum est, utpote in priore, revulsionis more opem fert, in posteriore, tum fibrarum & vasorum compagem laxat, tum humores abunde derivat.

Pag. ead. l. 6. *Cum sola autem cito alvus exercet.*] In hujusmodi morbis convenit ventrem probe tectum, pedes, & crura tepide servare, aliter vix morbi redditum praecavere valebit medicus. Novi aliquos praefertim crassos, obesos & helluones quosdam concinnos, quibus cochleare unum tincturae rhabarbari singulis vel alternis noctibus assumptum, multum commodi attulit. Omne hoc genus hominum, nisi ciborum reliquiae, alvo quotidie respondentे, extrudantur, male se habent, &

praecipue molesto ventris fluxu vexari solent.

Dysenteria.

Pag. 68. l. penult. *Primum sanguinem mittere expedit.]* Frustra curationis optatam metam contingere studebit medicus, qui in hujus morbi tentatione & rodente impetu, venam una vice tantum incidendam esse contentus imperabit. Etenim dum vires vitales eam sinant, deinceps repeti debet missio sanguinis, ratione diligenter habita terminum ventris, & ani, & duritici pulsus, quae hunc morbum insigni more comitantur, & veluti signa, quae pathognomonica nuncupantur, eum a quoque alio per alvum fluxu clare distinguunt.

Pag. ead. l. ult. *Vomitus utilissimus est.]* Emeticum medicamentum lene, quale est Vinum Ippecacoanhae exhibere, & Jusculo avenaceo aut vitulino largiter dein ordine epoto ventriculum expurgare decet, & convenit; at hoc opus ter quaterve tam cito repetendum, plus damni, quam boni secum attulisse, ut plurimum expertus sum. Nunquam enim, me auspice, in hac via pertinaciter persistendum est, ne saeva haec intestinorum termina, à quacunque demum causa oborta sint, in funestam inflammationem ruant.

Ideoque adversus haec admodum periculosa mala per longe tutius iter proficiscetur medicus, si Emeticis, Cardiacis, atque iis, quae ex Anti-

Antimonio & Hydrargyro tanto studio & labore acquirenda sunt, nec non & Astringentibus sepositis, omnis in hoc sit, primò quidem, ut sanguis pro ratione virium & doloris detrahatur, dein ut Apozematum, nunc Enematum ope, quae ex medicamentis humectantibus, emollientibus, mucofis, atque oleofis, componi debent, nunc lenibus Catharticis & Anodynis, quae haud parca manu aut copia, prout symptomata postulent, interponenda sunt, Intestina eluantur, Alvus subducatur, & dolores sedentur. In his enim & Missione Sanguinis rite & sedulo administrandis tota prima Dysenteriae curatio vertitur.

Si opportuno horum auxilio, feliciter consequamur, ut per quatuor vel quinque dies, tormina tandem pacata perfent, Faecibus interea indolis melioris more naturali simul egatis, dein ne recurrent dira dysenterica mala, exhibere oportet levissima astringentia, amara, aromatica & balsamica, ea ratione, quā praesenti virium conditioni & aegri corporis habitui maxime sint idonea, interposito debitissimis intervallis Cathartico lenissimo, & huic negotio peracto, semper succedere debet Anodyni modica & tempestiva exhibitio. Inter haec remedia, Electarium e Scordio, Pulvis e Bolo compositus cum vel sine Opio, Cinnamomum, Coneffi, Simaruba, Cortex Peruvianus, Radix Columba, Radix Quassi, Rhabarbarum, Lignum Tinctorum Campechense, Balsamum

H 3

Gī

Gileadense , Balsamum Anodynum p^ra^e cae-
teris palmaria praeripiunt.

Si quando haec aut similis medendi ratio ,
seu ex inficitia , seu ex incuria praetermissa fue-
rit , non raro aegrotis , qui hoc molestissi-
mo morbo imprimis correpti , & demum pro
convalescentibus habitu fuerunt , contigisse no-
vi , ut his ipsis Dysenteria chronica dicta fur-
tim supervenerit ; malum vere dirissimum , &
quod miserrimis suis tormenta febrilia , maciem ,
& mortem , nec non & medico opprobrium
faeuum , ut plurimum adfert .

Nec meliora , dum res sic se habeant , spe-
rare liceat , utpote intestina speluncis innume-
ris minutissimis oculorum aciem fere effugien-
tibus , sanie tamen refertis semper inquinata
exitisse , militum in Nosocomiis castrensis
hoc morbo peremptorum sectio mihi abunde
comprobavit .

Pag. 70. l. 1. Quae membranas exulceratas
conglutinent .] Quidquid boni ominis ex hujus-
modi medicamentis praesagiat Auctor , nihi-
lominus sanare Abscessum in Ventriculo geni-
tum , dictu quam factu facilius est . Etenim
tot & tanta metuenda mala inde minari , haud
infrequeuter expertus sum , & quae etiam ex
ore aegri , quasi expulsa , & oculis subjecta fide-
libus , sese palam facerent , ut medicum in hu-
jus morbi curatione prosequenda , oleum atque
operam demum perdidisse , ne mihi mirum foret .

C_u

Curatio autem, quae mea vota nonnunquam
in hoc tristi casu feliciter explevit, haec est.

R. Terebinth. Chiae 3i. Sperm. Cet. 3ss.
Vitell. Ov. q. s. Ol. Amygdal. dulc. recent.
expres. 3i. Syrup. Balsam. 3ss. Conterantur
in mortario ad perfectam unionem, & dein
gradatim affund. Aq. Calc. 3xii. & simul te-
rantur ut f. Emulsio, cuius dandum est Cochlea-
re unum omni hora.

Interea maxime quidem ad rem pertinet, ut
Jusculis solis mollissimis sustentetur aegrotus.
Hoc insuper in casu Lac saepissime malo nomi-
ne notandum, quod in omnibus fere aliis mor-
bis ulcerosis internis quam maximè prodest.
Aliquando Infusum leve Radicis Consolidae ex
Aqua bulliente sat bene fungi queat vice &
officio Aquae Calcis, quocum adjectis caete-
ris, eodem modo fiat Emulsio.

Sin autem, seu aderit multum Caloris hecti-
ci, seu balsamica & oleosa more praescripto
exhiberi non poterunt, dein fiant Pilulae ex Bal-
samicis lenissimis, quae simul cum Infuso praedicto
sint devorandae. Exempli gratia.

R. Terebinth. Chiae 3ss. Sperm. Cet. 3i.
Pulv. Oliban. Di. Myrrh. pulv. gr. x. Syrup.
Balsam. q. s. m. f. massa, cuius Di. assumen-
dus est ter die idoneis intervallis.

Pari etiam medendi ratione curandus est Abs-
cessus, qui supernas Intelstinorum partes oc-
cupet, at heu rarissime convalescunt hujus-
modi morbidi. Sin vero in inferioribus fieret
sappuratio, ita ut Clysteribus eluenda & pur-
ganda

ganda esset pars affecta , talem abscessum ad sanitatem perductum novi , scilicet.

R. Terebinth. commun. ʒss. Ol. Lini ʒii. Vitell. Ov. recent. ʒii. Conterantur in mortario , dein gradatim affunde simul terendo S. A. Aquae Calcis ʒvi. f. mistura , bis in viginti quatuor horis , Syringis Clysterisantis ope , in Anum injicienda.

Hoc forsan sufficiat , si indolis benignae sit Pus , si vero tenue sit & mali moris , addendum est Balsamum Sulphuris Terebinthinatum ab drachmis duabus ad unciam dimidiam , & immittendum est hujusmodi Enema more praescripto.

S E C T I O . I I .

De ileo.

Pag. 70. l. 8. *Vehemens intestini inflammatio.*] Inter notas hujus morbi certissimas praesertim numerari debent termina cum dolore acutissimo ardente , fixo , rodente , pulsu duro & febre acutâ consociata , alvus clausa , vomitus assumptorum citius vel tardius , prout superius vel inferius haereat malum. Dignoscitur autem pars intestinorum affecta partim situ doloris , partimque vomitu , si enim prope pylorum fiat inflammatio , hora dimidia , aut circiter redundunt ingesta , si ileon occupet , dolore

lore acerbissimo, fixo, ad umbilicum excru-
ciantur aegri, ingesta diutius retinentur, &
alvus nihil reddit. Si vero torminibus laboret
colon, paulo post, vel faeces deponit vel cre-
pitum reddit alyus, & sic de caeteris dignosci-
tur. Evenit autem tam in hoc morbo, quam
in omnibus intestinorum doloribus, ut a quo-
libet deglutito protinus fere increscit, dolor,
quippe ab assumptis in motum cidentur intestina,
dolor autem nephriticus post liquoris blandi as-
sumptionem ut plurimum potius mitescit.

Pag. 70. l. II. *Et larga copia sanguinem de- trahere.*] Pulsus, ut jam notavi, perpetuo durus est, missio tamen sanguinis non semper pro hujus duritie est moderanda, efficit enim hic morbus debilitatem citam, qua falluntur ignari, & saepe calefacentia iis aegris exhibent, quibus imprimis sanguinem mittere omnino interest, & proinde mittendus est saeviente dolore, etiam si arteriae pulsus ulteriore exinanitionem vetare videatur, nisi adfuerint signa praesentis Gangraenae, quo casu morbus desperatus est, & frigida mors instat crebris ut plurimum singultibus Ilia pulsans.

Tali quidem aegro nec prodesse nec obstare potest sanguinis missio, sed cum recens ab illa peracta morietur aeger, eumque a medico fuisse jugulatum credent spectatum admisi.

De sanguinis igitur copia detrahenda nil certi statui potest, nisi quod hic morbus aequa largam citamque hujusmodi exinanitionem postulat, ut alii morbi inflammatione periculosa con-

juncti, ne Pleuritide & ipsa Cynanche exceptis.

Pag. 70. l. 15. *Et vomitionibus rejiciuntur.]*
 Si una cum dolore adsit Vomitus, nunquam promovendus est Emeticis, inde enim augetur malum, nisi fiat ab acri quadam materie statim assumpta, cuius pars aliqua in ventriculo adhuc manere merito judicetur: Hoc autem casu, Juscule Pulli, similive liquore ejus expulsionem tantum leniter adjuvare oportet, & dein si Alvus astricta sit, omni arte molendum est, ut laxata fiat. Sicut enim in Vomitu, si Alvus clausa sit, Vomitum nunquam sanabis, ita & hoc etiam in casu dum perficit Vomitus, Alvus fere semper occluditur, eaque occlusa, vel Vomitum, vel Intestinorum Inflammationem tollere, frustra laborem suscipes.

Pag. ead. l. 20. *Anodyna etiam necessaria sunt.]*
 Revera omnino necessarium est ut anodyna, non solum semel, sed etiam bis, terve quaterve in die, prout postulet doloris saevities repeatantur. Fibris enim prius tensis, nunc horum ope laxatis, multo magis certi votis respondebunt clysteres. Hoc enim a me usu compertum habeo, clysteres, interposita faltem horâ unâ vel alterâ post assumptum anodynnum injectos, suscepta sua munera blande perficere potuisse, quos paulo ante immisso, anodynî autem ope destitutos, ne minimum quidem

dem retentos, atque operā infectā extēmplō
redditos saepissime vidi.

Pag. 70. l. 20. *Cum Purgantibus mixta.*] Non incongruum est sane medicamenta, quae somnum conciliant, ipsumque Opium purgantibus mixta exhibere, ut sub alvi subductionē leniatur dolor.

Hic tamen medendi modus, nisi maxima cum cautione, nequaquam adhibendus est, saepe enim ex ejus usū adeo exacerbantur symptoma, ut multos aegrotos inde ad mortem tristes fuisse mihi profecto persuasum est.

Pag. 71. l. 1. *Usque dum dejectionum satis fuerit.*] Huic medendi rationi, si non prima vice, saltem aliquoties pro re nata repetendae, ut plurimum spes optima adest, unum aut alterum quidem novi aegrotum, qui, irritis omnibus praedictis ad hanc rem remediis, alvum ex toto suppressam habebat, nihilominus arte & opera, quae ad sequentem modum institutae erant, faeces exoneravit.

Primum ope Syringis idoneae immittebatur Clyster ex Vini Antimonialis unciis tribus, deinde mihi proxima fuit cura, ut inferior Abdominis pars, praecipue circa umbilicum, linimento, quale est infra scriptum, simul inungenda esset.

R. Medull. Colocynth. 3i. Ol. Olivar. 3i.
m. & coque leni igne, donec medulla crispari videatur; dein, massa adhuc calente, cola.

Uni-

Unitis horum viribus tam interne quam externe largitis, paulo post successit fausta alvi dejectio. Interdum & pari virtute fumum Tabaci in Clysteris vicem, per aliquod tempus, in Anum injecisse, mihi in usu fuit.

Illud denique hoc loco haud impropie adiungendum videtur, quod in Ileo desperato minime praetermitti debet Praxis apud de Haen in ejus rationis medendi parte Octava memorata, utpote hujus ope, usque simul Machinae Clysterifantis nuper in Italia excogitatae Iliacos aegrotos, praesente jam Vomitu Stercoraceo, integrae sanitati brevi restitutos fuisse non dubitare licet.

Pag. 71. l. 3. *Argentum vivum bibendum præbere opportunum erit.]* Hydrargyrum, idque largâ copiâ assumentum laudant medici, & aliquando datum novi, nunquam tamen me praefente votis respondebat, sed moriente aegro transivit sine faecibus hydrargyrum.

Pag. ead. l. 14. *Inflammationi subveniat Gangraena.]* Signa imminentis Gangraenae, imo & jām praefentis sunt dolosa symptomatum remissio, herclē certò nulla, sudores frigidi cum delirio, pulsus debilis, frequens, intermittens, dejectiones foetidae, fibrarum & strigmentorum speciem exhibentes, sanguinolentae instar Loturae Carnium, vel nigrae & cadaverosae, quae cum imminentis mortis signa sunt, opem medicam non admittunt.

Nar.

Narratur autem, ni fallor, in Actis Regalis nostrae Societatis de quodam Pecudum Medico, qui Bovem Sphacelo Intestinorum laborantem, curatione ad hunc modum adhibita, morbo eripuit. Abdomen scilicet in Latere subter Costas nothas cultro aperuit, ita ut manum inter intestina immittere, atque totum eorum tractum perscrutare potuerit, paulatim partem, qua fixum reperiebatur malum, extraxit, porro simul ac eam Sphacelatam esse ad cubiti longitudinem invenit, hanc statim exsecuit, & adductis finibus sanis in siccum Cicutae Stamen, (Anglice loqui a Kex) cuius cavitas flatibus transeuntibus viam praeberet, consuebat. Paucis horis dein elapsis, ex eadem narratione patet Bovem Stercera ejecisse, posteroque die caulem cicutae expulisse, & cito postea integre convaluisse; ita quidem, ut non tantum labores usitatos sufferre valeret, quin longo post tempore pinguis factus Lanio confignatus esset.

Refert etiam iisdem Actis Simpson Chirurgus Londinensis, se ex cane quodam partem Intestinorum aliquas Pollices longam exsecuisse, iterumque consuisse, & hoc non obstante, ex toto convaluisse canem.

Haec opera seu Ars excisoria vix in usum humanum adduci queat, utpote crudelitatem nimiam redolere videatur; at saevitie non magis pollet, quam quae, secta vesica a Lithotomi manu experienda est, eamque haud minus tutam fieri posse arbitror.

Pag.

Pag. 71. l. 17. Neque nihil denique juyant Fo-
menta.] Ad hanc rem laudat Hoffmannus ve-
sicam suillam fotu calido impletam abdomini
imponendam. Haec enim constantem & re-
gularem calorem inde emanentem seruat, ideo-
que in balnei vel fatus intervallo sat commode
eius usum explorare confert.

Cum autem Sydenhamus etiam propter Catu-
lum & Pannum laneum adhuc memorabili est in
honore, jure quis fortasse quaerat, cur de Hip-
pocrate nulla mentio fiat; qui in hoc morbo
curando, medendi rationem admodum singula-
rem adhibere solebat; hanc autem hoc in loco
subjungere, nec inutile, nec alienum erit.

Medendi autem ratio Hippocratica hunc in
modum instituta fuit: scilicet, glandem longam
ex melle cocto paratam & felle taurino illumi-
tam in anum immittendam, dein clysterem ad
alvum liquandam injiciendum esse jussit. Si
vero in his auxiliis parum esset, ex ejus consi-
lio dein est, ventrem follis ope adeo aëre in-
flandum & distendendum esse, ut Rectum &
Colon, inde facta magis larga & capacia, fa-
ciliorem facibus prabeant descensum, & de-
mum extracto folle clysterem statim immitten-
dum, anumque spongiam, cui affigitur filum,
ne is nimis cito reddatur, obturandam esse praeci-
pit. His peractis, aegrum in aqua calida
desidere, & paulisper commorare opus esse,
inquit, & postremo expectandum & sinendum
est, ut redderetur clyster.

Haec quidem curatio, praemissa sanguinis
mis-

missione laudem meretur, modò antequam nimis praevaluerit morbus, adhibeatur. Interea nullus dubito, quin medicus, qui hodie hujusmodi medendi rationem, ut ut morbo congruam, praescribendi periculum facere auderet, se ludibrio protervo ubique habendum exponeret.

Pag. 71. l. 21. *Plus adjurat balneo tepido.*] Balnea tepida totum corpus laxando, in hoc morbo egregii sunt usus; atque ea repetere convenit mane & vesperi per horam dimidiam, vel horam integrum, si res sinant.

Pag. ead. l. 26. *Colicam pectorum.*] Non erit a propositio alienum adnotare, me hunc morbum, rebus nondum plane desperatis, feliciter depulisse, medendi scilicet rationem, ejus omnimode consimilem, adhibendo, quam in nott. ad P. 68. l. 3. & l. ult. P. 70. l. 15. l. 20. P. 71. l. 10. l. 14. fuse lateque exposui.

Illud insuper adjiciendum habeo, lectu dignissima esse, quae de hujus morbi historia, causis, & curatione, dedita operâ, scripserunt celebres illi medicinae professores, Antonius de Haen, Michaël Philippus Bouvart, & Georgius Baker.

S E C³

S E C T I O I I I .*De lumbricis.*

Pag. 72. l. 3. *Non raro lumbrici occupant al-yum.*] Lumbrici, qui ventriculo, aut primis viis lateant, insideantque; his, si non omnino pathognomonicis, saltem signis haud aequivocis fere produnt. Adsunt enim saliva tenuis copia nimia & sputum frequens, narium pruritus molestus, orisque halitus foetidus sine causa manifesta, vultus pallidus, oculi cavi, hebetes, notabili pupillarum amplificatione comitati, appetitus inordinatus, cardialgia aut nausea jejuno ventriculo, abdominis inflatio dura, tympanitica, ventris tormenta, praecipue circa umbilicum, alvus nunc pertinaciter obstructa, nunc nimis liquida, & faeces mali moris & coloris aliquando simul cum tenesmo egerens.

Praeterea observatu dignum est, omnes istos morbos magna ex parte deesse, qui plerisque, ex hujusmodi symptomatibus, plus aut minus communiter stipari solent.

Pag. 73. l. ult. *Stannum rasum cum aequali portione coralli rubri.*] Ex hujus remedii usu, effectus tam salutiferi continuo consequi videntur, ut credulum aegrum sperare, se vacuis inde frui intestinis, & a fordibus verminosis libe-

liberari, non mirum est: eheu, miseret me illius adhuc nescii proliis futurae & novae progeniei; quae, & tanta cum celeritate se repullulare queant, ut veterum de Hydra scripta nec admiranda nec amplius inter fabulosa numeranda sint.

His ita se habentibus, & permultis ex latitudinibus remediis Anthelminticis diu incassum adhibitis, ut huic intestinorum incommodo occurrere possem; curationem ex curatione ex cogitare & prosequi coepi, quae ad hosce vermes cucurbitinos exterminandos & delendos, nec non ad colluvies incolarum, progeniem novam non minus vitiosam mox daturas, penitus expurgandas, valeret, ex quo demum fit, me experientia didicisse, ut spes esset aegro omnia optime cessura, modo curatio ad hanc normam instituenda foret.

R. Extract. Fol. Rutae, Aethiop. mineral. ana 3ijs. Ol. Amygdal. dulc. 3fs. Elix. Aloë. 3j. Pulv. Radic. Helleb. nigri 3ss. Mell. despum. q. f. ut f. Electar. cuius tertia pars sumenda est 8vâ quâque horâ, superbibendo Apozematis infra praescripti partem tertiam singulis vicibus.

R. Flor. Sulph. lot. 3ij. Sal. Cathart. amar. 3j. Aq. Calc. simpl. ibiss. Decoque ad 3xij. dein colandus est liquor, & additis Tincturae Amarae 3iij. m. f. Apozema.

Haec peragenda sunt per quatuor dies, postridie autem primo mane devorandae sunt pilulae quatuor ex hujusmodi massâ scilicet:

I

B.

R. Saponis Iberici grana duodecim, Gummi Gambogiae grana sex. Olei Rutaæ guttas quatuor, Mercurii dulcis sublimati grana tria, Tincturae Thebaicae guttas quindecim, Syrupi e spina cervina q. s. m. f. massa, in sex pilulas formanda.

Sin autem alvus non satis copiose intra sex horas se exoneraverit, dein pilulae residuae duas assumenda sint.

Interea cavendum est, ut aeger usque ad alvi purgationem prorsus inceptam se religiose in lecto teneat. Die crastino repeti & continuari debent per tres vel quatuor dies electarium & apozema; & dein more praescripto iterandae sunt pilulae, augendo vel diminuendo portionem Gambogiae & Mercurii dulcis sublimati, prout postulent vires & alvi subductio.

Hoc medendi modo, si opus fuerit, per tres septimanas sedulo persistendum est: at raffissime comperi tam longam desiderari curationem. Quid enim? Concurritur, verminosae genti cito mors venit, & aegroto victoria laeta.



C A:

C A P U T VIII.

De hydropo.

Pag. 76. l. 17. *Sedes Leucophlegmatiae.*] Haec Leucophlegmatiae species plerumque tamdiu sanationem obtinet, quamdiu sana sint viscera, & formam naturalem retineant vasa: Si vero adeo distendantur, ut inde formetur Saccus, aut vix aut nullo modo sanari potest, nisi facto emissario educatur humor.

Oritur autem hic morbus ab omni causa, quae seri aquosi redditum in venas impedit. Hanc autem sententiam ultra dubium ponere videtur experimentum Lowerianum. Compressis enim partis alicujus venis, ea pars dimidiata horat hydropica.

Se innotescit autem Leucophlegmatia, seu *aīa oīgna* tumore partium, maxime inferiorum, albo, levi, splendente, ex compressione fo- veam relinquente, & hoc præcipue vesperi, propter situm corporis die à nocte diversum; in illo enim, omni momento descendunt humores, in hac autem, per superiora vasa iterum disperguntur, unde primo mane prorsus evanuisse videntur hujusmodi tumores, qui rursum vesperi reversuri sunt.

Ad sunt etiam plerumque sitis, spirandi difficultas & anhelatio ad motum, urina rubra,

crassa, & copia diminuta, perspiratio naturali minor, sudor nullus praecipue partium inferiorum.

Pag. 76. l. 22. *Tympanites non est unius generis.]* Tumor, qui abdominis regionem occupans, sonitum ex percussione dare dicitur, tympanites nuncupatur, interea tamen confitendum puto, hanc rem meas aures semper fellisse. Hic morbus vix & ne vix quidem per se existit, & fere semper cum ascite conjunctus invenitur.

Pag. 77. l. 18. *Haec non in cavo ventre, sed in ipsis intestinis.]* Datur & tumor uteri ab eadem causa in ejus cavitate inclusa, at aliquando ob fallacia graviditatis signa, non parva medicis occurrit difficultas in distinguendis hujusmodi tumoribus. Uteri autem graviditas ab ejusdem tumoribus, seu de vapore, seu de aquâ ortis, gradu quodam dignoscuntur mulieris cacochymiâ praegressâ, aetate foeminae, menstruis tarde & irregulariter diu ante fluentibus. Sed nihilo feciis, semper vel caute & lente procedendum est, vel prorsus procrastinanda est sanatio, donec certiores fiamus de gravitate, quae medicis non raro fallaciam impo-
suit.

Pag. ead. l. 21. *Capacitate.]* De hac re simul consuli velim doctissimi Halleri opuscul. Pathol. observat. xxvi.

Pag.

Pag. 78. l. 4. *Colluvies aquosa in ampio imi-
ventris spatio.]* Hic morbus tactu & levi per-
cutione, admotis scilicet lateri opposito digi-
torum apicibus, & sensu aquae fluctuantis di-
gnoscitur, modo aqua libere fluat in abdomen;
si vero in tunicis aut vesiculis includatur, tali
modo distingui nequeat. *Cujus generis est ova-
riorum hydrops.* *Hoc tamen boni ex hac distin-
ctione habeatur, quod inde cognosci possit,*
quid secundum, quid aduersum morbi levamen
faciat paracentesis.

Pag. ead. l. 9. *Disruptorum canalium quibus
lympna circumfertur.]* Ut Anasarca indies in-
crescens canaliculorum rupturam, qui Lym-
pham ferunt, non raro efficit, & tandem in
Ascitem desinit; simili prorsus ratione, humo-
res extravasati & abdomen conclusi, mole &
acrimonia sensim increscunt, & sanguifera vas-
a demum ita ultra modum opprimunt & rodunt,
ut haemorrhagias pessimi ominis huic causae fo-
lummodo adscribendas, ex diversis partibus,
praesertim autem e naribus sponte ruere, ne-
mo sit, qui ignoret.

Pag. ead. l. 14. *Qui in foeminis oyorum con-
ceptacula occupat.]* Hydrops ovariorum di-
gnosci potest ab ascite & tympanitide, duritie
& inaequalitate tumoris inferiorem abdominis
regionem occupantis, quippe in aliis tumor
aequalis est.

Pag. 78. l. 15. *Mox inflammantur & corrumpuntur.*] Non his solum, sed aliis etiam hydropicis non raro accidit inflammatio. Etenim ex generali habitus laxitate, vasa serosa robore & resiliendi vi magna ex parte orbantur, unde sanguis rarescere incipit, & aqua versum premendo facillime in hujusmodi debilia vasa intrare, maculasque purpureas efficere solet, quae in morbis chronicis fere semper malum portendunt; utpote habitus corporis laxi simul & inflammati indicia evadunt certissima.

Pag. 79. l. 23. *Alias etiam corporis sedes inundat.*] Nemo in morbo languido moritur, quin secta cadavera, cerebrum, pericardium, peritonaeum, abdomen, aut viscera nonnulla & vasa adiposa, &c. aquâ redundare monstrant; si vero aliquis, telo vel vulnere nuper adacto perierit, iis partibus aqua non apprehenditur. Quae res, ut mihi videtur hanc suspicionem importat, in hujusmodi morbis mendidis non prorsus inutilem, nempe quod vires exhalantes vix ac ne vix quidem in culpa vocandae sint, vires vero absorbentes more gravi & prorsus periculoso deficere, & saepissime, solent.

Pag. ead. l. 25. *Testiculi lympha nimia.*] In iure venerea adest aliquando tumor similis ad scrotum, nec non & ad vasa seminalia prope annulum, hic tamen tumor inaequalis est. In Hydrocele vero tumor durus & aequalis est,

nul-

nullusque adest tumor aut durities apud vasa seminalia.

Pag. 80. l. 13. *Incisio Tibiae parte interiore.*]

Non raro id auxiliū in hac parte magnum remedium est, licet aliquid incerti semper secum ferat, videlicet, ne sequatur Gangraena; cui praecavendae Fotus discutientes, & Remedia digestiva calida imprimis valent.

Idecirco hujusmodi Plagae partibus tumentibus non infligendae, nisi praesens sit expertus Chirurgus; manu vero prudenti factae & curatae, non solum in Leucophlegmatia, sed ubi una cum Anasarca jungatur Ascites, juvant maxime.

Vesicatoria ad eundem finem profecisse notum est, at meo judicio plaga, aut scarificationes crurum inferiorum tutiores videntur, eo quod inflammationem aut nullam, aut levem & tractabilem excitant.

Pag. 82. l. 23. *Qui autem ex aura.*] Tumor ventris tympanites dictus ex hac cauia proveniens, aliquando sine ulla ambagibus catharticis aut vesicatoriis, facilime punctura abdominis instrumento idoneo facta levatur.

Pag. ead. l. 28. *At corporis exercitatio non negligi debet.*] Prosunt in omnibus hydropis speciebus valida exercitatio, si vero his utiqueat aeger, pannis vapore accensi Thuris, Succini, Mastiches, Benzoini, &c. calidissime

redditis ter quaterve quotidie corpus fortiter fricare convenit. Valde enim prodest hujusmodi fricatio, si diebus a purgatione cathartica liberis & aëre calido instituatur.

Pag. 83. l. 10. *Ubi enim fractae sunt vires.*] Ad hujus morbi durationem omnino respiciendum est, quippe in Hydrope recenti, plerumque conducunt acria, quae stimulant, aromaticæ, quae vires vitales intendunt, & ista mendendi ratio, quae, ex medicamentorum alcalinorum ordine & usu, auxilium petit, nisi clare appareat contrarium.

In morbo autem diurno plus proficiunt acida, tunc enim ex humorum stagnantium putredine pulsus fit frequens, licet in morbi accessu tardus fuisset.

Effectus hujus Putredinis non raro Haemorrhagiam inducit, cuius vi saepe extinguntur Hydropicæ. Quo enim diutius durat morbus, eo aqua magis putreficit, & acrior evadit.

Hinc oriuntur multiplex Gangraena, nec non & Haemorrhagia narium; ex his vero postrema vix unquam prius locum habet quam Abdomen aqua plenissimum sursum premitur, & acer Sanguis rodit & rumpit Vasa.

Hoc in loco aliam subjungere cautionem, quasi ex eodem fonte derivatam, non alienum erit; scilicet, Tumores Crurum morbos longos comitantes, aegrosque in nil miserantis Orci fauces deducere proclives (ut Phthisicus, Icte-

Ictericis, &c. frequenter accidit) nunquam curandos esse more Hydropis veri, quin more morbi primigenii.

His forsan lenis Alvi Purgatio iis temporibus utilis foret, quibus scilicet ob humores turgescentes, simulque ad nimiam plenitudinem crescentes, plurimum augeatur Dyspnoea, aliudve ejusmodi symptoma.

Crurum autem tumores oedematosi à laxitate fibrarum & Lymphae lentore orti, ab Emetico leni, quod semel in hebdomada exhiberi debet, multum juvantur, datis in intervallis iis remediis, quae compagem laxam intendere valent, quippe horum ope sursum revelluntur humores, & circuitui generali simul celerius remittuntur.

Sedulo autem curandum est, ne multum urgeat Dyspnoea, aliudve symptoma simile. Ideoque si aliquid horum timeatur, die proximo à vomitu liquanda est alvus, caeterisque diebus incidentia & roborantia remedia exhibenda sunt.

Hujusmodi tumores Virginibus cacheeticis, & Menstruis inordinatis laborantibus non raro accident, nunc hecīca nunc lenta humorum Cacochymia comitati, & sanantur medicamentis ferrugineis, & leniter expurgantibus, ratione habita ad pravam corporis constitutio- nem.

Pag. 87. l. 10. *Ab omni potu per longum tem- pus.] Procul a nobis absit omnis alienae sen-*

I 5 ten-

rentiae suspicio, utpote meo consilio nunquam aliud hydropici aegri auribus adeo strenuo inculcari curarem, quam quod obstinate à potu se cohibere manente curatione necesse sit. Interea mihi annotare liceat, quod in ascite ex vasis lymphaticis ruptis solummodo ortā, sine cachexia notabili, non aequa a liquidis prohibendi sunt aegri, ac in anaearca. Ex fere enim defectu siccatur sanguis, satiusque est paracentesim citius repeti, quam sanguinem nimis excidari, unde putris corruptio & cita mors.

Pag. 87. l. 11. *Cum sitis plerumque vehementer premit.*] Sitis ingens in hoc morbo malis admodum est ominis, quippe tam sanguinem circulantem aquosā parte privatum, quam humorum stagnantium putredinem denotat; nec unquam sanatur aeger, dum hoc symptoma mineat.

Pag. 94. l. 17. *Valentissimis catharticis usus brevi post exhaustis viribus consumptus est.*] Adeo noxia est in hydropicis intempestiva per alvum purgatio, ut in fine hujus morbi diarrhoea spontanea summopere suspicanda sit, quippe ut plurimum putredinem humorum colliquefactam ponit, de qua brevi moriuntur aegroti.

C A-

C A P U T I X.*De jecinoris morbis.***S E C T I O I.***Iterus.*

Pag. 96. l. 13. *Mistura ex oleo, aqua, & sale tam volatili quam fixo.] Immittatur enim Bilis in vas destillandis succis accommodatum, & igne leni dein subiecto, paulo post educetur Phlegma, remanente in fundo massa densa, ad flammarum concipiendam proclivi, licet Bilem flammarum ire contrariam bene notum est. Autem dein igne ascendit sal acre volatile, offa in fundo relicta coloris est obscuri, saporis verò acerrimi, magnamque copiam Salis Lixivii & magis fixi, quam generis prioris, non tamen absolute fixi in se continet.*

Bilis etiam calore leni ad crassitudinem exhalata, odore volatili late sparso Nares percutit, unde patet dari etiam Sal Volatile praeter id, quod compage adeo fixa praeditum est, ut multo majorem ignis vim, priusquam ascenderet, profecto adhibere opus sit.

Pag.

Pag. 96. l. 14. *Ad varios fabricae animalis usus.*] Bilis enim coagula & ingesta glutinosa, ventriculi vires eludentia solvit, acidaque destruit, chylumque sanguini reficiendo idoneum reddit. Detur quippe vitulo lac, & paulo post mactetur, omnia in ventriculo caseosa & coagulata videntur ad duodenum usque, hoc vero aperto, admistione bilis, omnia iterum fluida inveniuntur.

Pag. ead. l. 16. *Sanguis ipse modis quam plurimis corrumpi possit.*] Bilis e contrario licet diu asservata non eo more putreficit, quo reliqui corporis humores corrumpi solent.

Pag. ead. l. 18. *Peccat autem non raro lentore.*] Cognoscitur quidem hujusmodi Bilis status in multis ita se habere, ex vita aegri, & signis lentae pituitae praegressae ante adventum morbi, qualia sunt pulsus tardus & flegnis, appetitus prostratus cum sensu quasi ponderosae satietatis, & compressionis astrictae sub scrobiculo cordis, vomitus pituitae, color cutis primo pallidus, dein pallido-flavus, et in morbo diuturno subfuscus, faeces alvi albae, oculi flavi, urina crocea cum sedimento crasso, viscido, flavo, sensus gravitatis & doloris onerosi in Regione Hepatis, durities ejusdem, praesertim si multum infarciatur Jecur, vel exteriorem partem occupet morbus; si vero cavam interiorem infestet, tactu saepe non deprehenditur, etiam si adsit Scirrus, hoc in omnibus Icteri speciebus verum est.

Pag.

Pag. 96. l. 19. *Nonnunquam etiam nimia rauitate.*] Haec Bilis conditio acrimonia calida plerumque est comitata, eosque prae caeteris invadit, quibus opipare se curare, spiritus vi-nosos Baccho litare, aut cerevisias larga copia ingurgitare, quotidiana & pulcherrima erat cu-ra.

Dignoscitur haec *Icteri species* à priore, calore paulo majori, urina rubro-flava cum sedimento simili, viscofo, pulsu crebro, atque siti & febricula levi coniuncto.

Pag. 97. l. 17. *Corporis humoris accidunt.*] Sunt quamplurimi hujusmodi generis homines, quibus semel in mense subito exoritur immanis capitis dolor, nec non febre quadam coniunctus, at postquam haec symptomata aliquot horis perpepsi fuerunt, magnam copiam bilis vomunt, & illico sè optime habent. Lenis vomitio, aut alvi solutio semel vel bis in mense instituta, cuius ope, bilis jam accumulari incipiens ex corpore ejici queat, antequam turgeat, tollere haec mala raro fallit.

Pag. ead. l. 19. *Sed & alia est Icteri species.*] Haec *Icteri species* dolores Intestinorum frequenter insequitur aut comitatur, & à ductu hepatico tum temporis praeter aequum constriicto oriri pro vero habetur, eo quod amoto dolore saepe sponte cessat.

Hujusmodi *Icterus* hisce signis ut plurimum comitatur, scilicet adsunt urinae aquosae copia
larga,

larga, alvus simul nunc resoluta & aperta, nunc astricta & clausa nimis, sensus tensionis sub scrobiculo cordis, febre interea nulla se comitem exhibente.

Veruntamen mihi fas sit suspicari hanc Icteri speciem, multo saepius originem suam trahere a calculo transitum per ductum cysticum aut cholodochum moliente; quippe sub tali rerum statu, plerumque fixus & acutissimus circa eam regionem, qua dictus cholodocus duodeno inferitur, dolor adest, cum molestissimo vomendi conatu, colore cutis valde flavo, alvo saepe dura admodum, & astricta sociatus; quae symptomata exemplò & ex toto solent remittere, excretis per Anum Calculis pondere ut plurimum levissimis.

Pag. 97. l. 27. *Tale quid cruciatibus colicis.*]
Adeo hos Intestinorum cruciatus mentiuntur dolores illi, qui ductibus biliaris obstructis, aut concretionibus calculosis debentur, quae vel in his vel vesica fellea adesse solent, ut saepe de his longe opinione falluntur Medici, dum terminum speciem prae se ferentes, non solum pro variis doloribus Colicis habendos, sed quod pejus est, pro verissima comitantis aut instantis Icteri causa se agnoscendos faciunt. Quid igitur inde mirum? cum medendi ratio principius falsis omnino innitatur, sanatio hujus Icteri speciei vel frustra speranda, vel saltem difficile ad votum perducenda sit.

Hujusmodi Ictericis plerumque Vomitus &
An-

Anxietates, pervices quasdam, Paroxysmorum more, longiore licet intervallo, quam in acutis morbis, recurrentes, atque horum succussu, gradu quodam aut solvitur obstructio in meatu communi biliario, & in intestina fluit Bilis, vel recurrente in venam cavam Bile evacuatur vesica, & meliores se habent aegri, nisi quod flavi maneant, donec repleta iterum vesica redeant symptomata.

A proposito autem non alienum erit, alteram, priori, perquam affinem, hoc loco subjun gere observationem, cuius veritatis me tem oculatum iterum atque iterum reddidit Cadaverum Ictericorum examen anatomicum, nempe, qui, simul ac cibum capesserant, nausea & vomitu, anxietate & dolore ventriculi laboraverant, & paulo post se Ictero inquinatos senserant, hujusmodi omnes lapidem vel in Vesica Biliaria, Hepate, vel partibus annexis certe habuisse mihi compertum est.

Pag. 99, l. 20. *Quinetiam vomitus plerumque elicendus.*] In emeticis exhibendis summa requiritur cautio, omnia in hepatis regione libero circuitu frui posse, aliter non raro ruptis vasibus male cedunt. Praeterea si nimio motu vel calore in obesis liquefcat pinguedo, & per vasa epiploica ruit in venam portarum, aut si hypochondriacis, ex iisdem causis, solvatur humor atrobiliarius, & per coeliaca ad hepar defertur, ex quibus tandem fit icterus; his ambobus exhibitio emeticorum multum periculis alit,

alit, adeſt quippe ut plurimum jecoris inflammatio.

Pag. 100. l. 6. *Ex iis denique, quae bilem ipsam emendant.*] Alia autem non ſentient iectrici auxilia certiora, quam quae ipſi praebentur ex uſu libero ſeri lactis, & ſuccorum vegetabilium lacteſcentium, tempore verno cum ſapone veneto aut amygdalino aptâ copiâ simul affumptorum.

S E C T I O I I .

Diabetes.

Pag. ead. l. 19. *Diabetem dictam.*] Hujus morbi certa & propria ſymptomata ſunt mingendi cerebra cupiditas, Lotio multo, eoque non falſo, ſed ſubdulci, ſimul profluente, ſiti ingente & inexplibili, pulſu celeri & debili, linguae ſiccitate & ardore, & virium debilitate comitata.

His igitur signis, & iis, quae malo hypochondriaco, aut affectioni hystericae prorsus propria ſunt, ſimul comparatis, facile diſtingui potest Diabetes à fluxu urinae dilutae, quae nervorum ſpasmis ortum ducit.

Multi tamen Hypochondriaci viri, (nec non & hystericae mulieres) ſe Aqua Bristolensi diu hausta ſanatos fuiffe crediderunt, qui hoc morbo

morbo nunquam laboraverunt; at pauci sanantur, qui revera Diabete affecti sunt. Consumptis enim quotidie viribus, ex tam ingenti urinae profluentis copia, ut plurimum confessim moritur aeger.

Pag. 100. l. antep. *Sed Jecinoris morbum.*] Diabetem Jecinoris esse morbum se alibi demonstrasse credidit noster Auctor, unde cramben bis coctam apponere recte recusavit, at argumentis his certissimis non obstantibus, aliam de hac te sententiam proponere haud metuam.

Cum enim apud omnes in confessu est, hunc morbum, eos praeceteris invasisse, quibus, spiritus vinosos vacuo praesertim ventriculo perpetuo fere sorbillasse, pulchrum fuit, etiamsi inde non ebrii fierent, etiamsi nec frigidis potionibus intempestive sitim restinguerent; etiamsi nunquid Jecori soboluerit, se ne minima ex parte, quidpiam morbosae indolis suo hospitio excepisse, sitne licitum suspicari veram hujus mali sedem, non in Hepate, quin potius ponendam posse in vitiata imprimis Chyli, dein & sanguinis compage, qua renum canaliculi ita repleti, extensi, & demum resoluti evaserunt, ut sub lotii specie profluxerit indies serosus quidam humor, consimilem cum Chylo naturam nimis participans, idque rivotam copioso, ut exsiccato cruore, aegrum atrophiae citatae & immedicabili succubuisse necesse fuerit.

Pag. 101. l. 7. *Ad profluvium illud sistendum plurimum valet.]* Remedio & curationi jam memoratis adjicienda sunt ea, quae de quibusdam, vomitu saepe iterato, sanatis tradita sunt. Haec enim medendi ratio haud incongrua videtur, sed mihi adhuc defuit tentandi opportunitas; interea suggerere mihi in animo est, an hoc vomendi proposito prius rite peracto, camphora iis medicamentis sociata, quasi fibras roborent, & ventriculi concoctionem juvent, atque eâ copiâ cum aqua calcis simplicis vel magis compositae exhibita, sicut ante in mania exposui, scilicet, ut libera fiat perspiratio, aliquid non praebeat auxillii?



C A-

C A P U T I X.

De morbis renum & vesicae.

Pag. 103. l. 16. *Primum mali fundamentum.*] Cum a nostro instituto prorsus alienum esset, varias Calculi renalis causas explicare, quas tanquam efficientes proposuerunt Scriptores Medici, Theoriam igitur auctoris, ut ut in verba magistri jurare nimis promptus videatur, impugnare nolo. Interea illud scire oportet, calculum humanum arte chymica rite tractatum, doctrinae adeo ingeniose excogitatae parum favere; utpote se naturam a Salina-tartarea vinosa perquam dissimilem possidere liquet. Nam dato quovis calculo humano, licet ejus pars maxima ex aere constet, tamen altera portio residua ex materia terrestri Phlegmate, Sale volatili urinali, & Oleo confecta est.

Mihi autem probabile videtur calculum renale saepe, si non semper, ex rupta arteriola guttas aliquas sanguinis emittente, quibus materia urinae lapidea aut terrena evadit agglutinata & concreta, imprimis oriri; eo quod fracto omni calculo apparet in ejus centro macula rubra aut fusca.

Hoc ulterius confirmatur ab extraneis qui-
buscunque materiis in corpore humano diu ma-
nentibus, quales sunt Globi plumbei in militum

K 2

cor-

corporibus haerentes, quos omnes materia calculosa incrustatos frequenter vidi, in quaunque corporis parte detenti fuissent. Nec minus patet ab experimento Nuckiano. Hic enim globum eburneum, ligneumque in canis vesicam sectione immisit, vulnusque consolidavit; post aliquod autem tempus canem diffecans, ambos crusta calculosa obtectos invenit.

Pag. 104. l. 24. *Ut venienti morbo occuratur.*] Ut idonea possint adhiberi auxilia, in primis cognoscenda sunt calculi renalis signa. Calculus autem renum, perinde ut scriptorum de hac re opinio est, indicatur ex dolore partis gravi, & obtuso, stupore cruris & femoris, & regressu testiculi lateris affecti, plerumque etiam & vomitu ingestorum, comitatis.

Cum vero haec omnia ab alia aliqua causa oriri possint, quae Renem gravet, & compimat, indubiam calculi praesentiam non indicant.

Certissimum autem hujus signum, quantum assequi potui, est doloris & symptomatum praeditorum constans incrementum, una cum miectu sanguinis a corporis exercitatione super viarum strata lapidea, quoties iter, seu curru, seu equo conficiendum, in aegroto experiendum sit, quippe a novo calculi attritu sit ad vasa sanguinea novus & nimius crux appulsus.

Hujusmodi autem miectus vix ab aliis causis adeo constanter fieri potest, quippe irritato ul-

ulcere fit inflammatio, & puris vel saniei major expurgatio, raro autem puri sanguinis.

Cum autem hoc modo exploratum sit, ita se habere aegri statum & conditionem, certissimum signum praebetur, ipsam morbi causam calculo attribuendam esse.

Dari tamen potest calculus sine hoc symptomate, quoties vel admodum laevis est Calculus, vel Reni adeo arête adhaeret, ut non omnino moveatur, & Renem affricet. Et proinde datis symptomatibus primo expositis, de calculo, qui se in rene insederit, semper suspicari fas erit.

Pag. 105. l. 3. *Expellenda sit per ureteres moles concreta.*] In primis igitur animadverendum est, corpus humanum, ita a natura esse comparatum, ut Renum calculi raro in unam magnam molem (quod in Vesica secus est) accrescant, quin potius lapillorum congeriem ultimis arteriis adhaerentem repraesentant, unde in Ureteres delapsi, dolores, inflammations, urinae difficultates, retentiones efficiunt, & mortem ultimam suam sobolem, tandem producunt.

Incipit autem ut plurimum paroxysmus cum horrore, oscitatione, pandiculatione & nausea, quibus confestim succedit dolor Renis vel Uretorum gravis, vel acutus, pro ratione magnitudinis & formae lapilli, plani scilicet & laevis, vel scabri & angulati. His succedunt aegritudo ventriculi, vomitus, alvus nunc astricta, nunc

lubrica, & torminosa, urina nunc intercepta, aut parca copia reddita, nunc aquosa & tenuis, praecipue manente doloris saevitie, nunc crassa, fabulosa, cruenta, &c. maxime post doloris remissionem: Cedente enim tum temporis Nervorum & Ureterum distentione descendit fabulosa vel calculosa materies, raro vero dum ingens urgeat dolor.

Calculus autem in Ureterem se descendisse indicat, tum per situm, tum augmentum doloris, eumque summe acutum & lacinantem ad regionem ossis Illi excurrentem, quippe dum Ren solus laboret, obtusior & gravior est doloris sensibilitas.

Pag. 105. l. 13. *Numquam enim dum in magno cruciatu aeger est.*] Etenim perpetuum est, & ad hoc dirigi debet omne consilium, quod quo major sit dolor, eo mitiora & minus propellentia adhibenda sunt diuretica, & vice versa.

Pag. ead. l. 23. *Sedato jam angore diureticis etiam valentioribus pugnare liceat.*] Periculosa valde nihilominus est eorum fors, quibus nullo accidente dolore, penitus fistitur urinae ex Renibus descensus ad vesicam, eo quod quamdiu manet dolor, manet etiam vis propellens tam liquidorum, quam solidorum.

Si itaque remediis jam dictis & ordinariis minime proficientibus, eo usque processerit malum, exemplò larga copia sanguinem detrahere oportet. Dein exhibendus est Haustus Emeticus

cus ex Oxymellis Scillitici unciis duabus vel tribus, ut concutiat universa corporis compages, quod optime in balneo tepido fit, nimirum ut eodem tempore laxentur Ureteres, & deorsum derivetur humorum impetus.

His inceptis peractis, immittendus est clyster stimulans, nisi ab Emetico profluat alvus, & dein si post alias horas, videlicet decem vel sedecim, nullum adsit aegro doloris revertentis, vel urinae effluxurae indicium, vesperi nuchae & carpis applicentur vesicatoria, & liquorem aliquem propellentem & lubricantem largiter hauriat, atque in eadem curatione usque ad noctem proxime futuram perseverandum est.

Si vero circa hoc tempus nil urinae effluerit, haud quicquam sit morae, quin exhibeat Bolum ex Electarii e Baccis Lauri scrupulo uno, & Mercurii dulcis sublimati granis octo vel decem confectus, & crastino mane devoranda est hujusmodi massa, nimirum.

R. Extract. Cathartic. 3fs. Sal. Succin. Mercur. dulc. sublimat. ana gr. v. Syrup. Ros. solut. q. s. m. Interea repetendum debet tum mane, tum vesperi balneum tepidum.

His nequaquam urinam carentibus, postridie, si vires ferant, iterato prius balneo, aegri corpus magna gestatione in Rheda, super vias aulebrofas, aut lapidibus stratas, per alias horas, vehendum & concutiendum est, vesperi autem iteranda est Immersio in aqua tepida, & applicatis postea tibiis & femoribus vesicatoriis,

toriis, eodem tempore libere & largiter medica-
menta dare oportet, quae ad urinam propel-
lendam vim habeant.

Si his pro re nata factis, nil boni aegro af-
feratur, quin potius stupidus & comatosus
evadat cum pulsu pleno & tardo, mors ipsa,
ut brevi post adveniat, exspectanda est.

Alia tamen non videtur melior medendi ra-
tio, quam persistere in usu praescriptorum,
maxime in haustu largo Diureticorum, praeci-
pue Lixivialium, simul & missione sanguinis,
& medicamentis catharticis nuper dictis, pro-
ratione virium repetendis. Obturatis autem
Ureteribus, rarissime ultra diem decimum hu-
jusmodi aegris vita superest, plerumque enim
citius, tanquam e Comate morientes; in aeter-
nam clauduntur lumina noctem.

Nonnunquam autem accidit aegroto, qui hu-
jusmodi urinae retentionis obstinatae patiens
fuit, ut tandem sanguinem sincerum minxe-
rit, quandocunque autem res sic se habeat, vix
ulla est convalescendi spes; tanta enim fuit vis
vitae, ut destructa sint vasa.

Hoc equidem in loco insuper adjungenda
est cautio, Catheterem, integra urinae suppres-
sione se palam faciente, in vesicam urinariam
immittendum debere, priusquam fortia dentur
diuretica; ne forsan ab inflammatione levii
Sphincteris, vel ejus affectione paralytica, vel
ingressu lapilli in collum vesicae, retineatur
urina.

In aegris hujusmodi a retenta urina plurimum
tumet

tumet vesica, ita ut aliquando externe dignosci possit. In his sanandis, Catheteris ope pro re nata educenda est urina, donec morbus primi genius pro suo genere sanari potest.

Nonnunquam etiam accidit, quod adeo inflammetur vesicae sphincter, olovo tumore comprimatur, ut catheteren in vesicam introducere profecto impossibile sit, quo casu ad Perinaci puncturam confugiendum est.

Pag. 106. l. 8. *Extra illum autem saluti condunt.*] Hujus morbi integra sanatio vix expectanda est, quippe lapillorum omnium expulsionem & praecautionem, ne generentur novi, postulat. Sufficit itaque dolorem lenire, tam lapilli expulsionem promovere, talemque vivendi morem instituere, ut inde non increcat malum, & rariores & mitiores evadant paroxysmi,

Pag. ead. l. 10. *Cibus ex media materia.*] Si aegrotus huic morbo renali obnoxius bibat serum lactis, & per longum tempus se jusculis tenuibus nutriat, ita ut inde in diarrhoeam incidat; raro sub tali regimine laborabit calculo. Hinc etiam fit, ut quibus mos est, cerevisias praecipue novas & lubricantes larga copia ingurgitare, longe minus calculo obnoxii sunt hujusmodi homines, quam qui vinum praecipue tenue & austерum potare solent.

Pag. 109. l. 23. *Calculos ex vesica excindendi*

K 5

di

*di adinvenerunt.] Si vero, vel ob aegri se-
nectutem, valetudinem infirmam, lithotomo-
munere suo fungi non concessum est. Vi-
tu tenui, blando, leni, humectante, emulsioni-
bus largiter haustis, pro re nata cum aqua cal-
cis paratis, fotu, & linimento anodynō, me-
dicamentis, quibus insit opium, simul devora-
tis, quiete corporis, aliisque similibus, ten-
tanda est morbi extenuatio, quam ultra spem
feliciter successisse novi, modo ab attritu cal-
culi non adhuc erosa fuerit vesica.*



C A-

C A P U T X.

De morbis oculorum.

S E C T I O I.

De gutta serena.

Pag. III. l. 8. *Guttam serenam appellant.*
Cognoscitur gutta serena non ex morbo se ipsum palam & aperte faciente, sed ex visu, inopinato & praeter naturam plus aut minus deperdito, si vero quis attente in oculum inspiciat, naturali largiorem semper pupillam percipiet, quod cum visus privatione, aut insigni ejus dimunitione, certissimum est hujus morbi signum.

Pag. 113. l. 5. *Quibus autem modis curationem aggredi.*] Valde difficilis est hujus mali medicina, variae ejus caufae iterum atque iterum ad examen vocandae sunt, prae caeteris autem distinguendum est, an Plethorae, caufaeque calidae, vel frigidae & pituitosae, tribuenda sit ejus origo.

Si enim juvenibus, sanguinis aut humorum plenitudine, calidove corporis habitu praeditis acci-

accidat , missio sanguinis larga , etiam & idoneis vicibus repetenda , alvus potionibus catharticis iterum atque iterum subducenda , omnium certissima praebebunt auxilia ; quibus ex magno usu erit , adjungere remedia , quae humorum calorem & spissitudinem temperant & attenuant ; qualia sunt medicamenta ex salibus refrigerantibus , nitrosis & neutralibus dictis , atque Gummi Guiaco ; ea ratione conjuncta & commista , qua symptomatum status atque gradus postulare videantur .

Etenim quosdam ex hujusmodi hominibus novi , qui post exercitationes violentas , Ingluviem , Crapulam , aliaque similia , subito caecitate perculsi fuere , accedente nunc saevo , nunc ne minimo , nec praegresso nec comitante Capitis dolore , quibus haec medendi ratio ad Amussim facta , visum integre restituit .

Plerumque vero sensim inducitur hoc malum , visu nunc fere extinto , nunc iterum reviviscente , dum subinde ante oculos volitare videantur radiantia lumina Solis , aut Muscae , Capilli , Nebulae , aliaque simulacra innumera-bilia , quae aegrum vanis imaginibus & inani spe ludere , & lactare misere solent .

Cum autem eo usque invaluerit morbus , Therapeutice , quam Auctor hac sectione instituit , sedulo prosequenda est .

Pag. 113. l. 14. Faciis profundis incisuris.]
Mihi in usu fuit , ut locis pone aures maxime commodis , caustico medicamento inuratur cutis ,

tis, quod in quamplurimis oculorum morbis insignem usum secum attulisse comprobavi: quippe transit hac via ramus arteriae carotidis ad ipsum oculi globum, unde in hujus organi fluxionibus morbidis, obstructionibus variis, imo & in gutta serena, primi ordinis est remedium. In his autem apertis servandis cavendum est, ne ob nimiam humorum affluentiam diu in muscularum interstitiis stagnantem, fiant sinus, fistulae, aliaque similia, nec non & inde gangraena in cachecticis, quae, ob muscularum exiguorum cursum intortum, ignaris pharmacopoeis & chirurgis aliquando accidisse novi.

Pag. 113. l. antepen. *Factam salivae irritationem.*] Ut plurimum ad tres vel quatuor septimanas protrahi ptyalismum necesse est, eoque finito, diu insistendum est in usu pilularum, quales erunt, quae ad hanc normam dirigantur.

R. Mercurii dulcis sublimat. 3ss. Cinnabar. Antimon. 3ss. Balsam. Peruv. q. s. m. f. massa, cuius pars octava bis quotidie sumenda est, superbibendo aquae calcis magis compositae, seu decoct. e lignis apud pharmacopoeiam Fulleri uncias quatuor. Interea, singulis vel alternis hebdomadis, alvi purgationem modicam instituere oportet, sedulo autem cavendo, ut a nimia ejus subductione, non debilitetur aeger; sin autem per haec malum finitum non fuerit, profecto ad id auxilii genus confugiendum erit quod in strumarum curatione descriptum habebitur.

bitur, ejus enim remedii vires in hujusmodi morbosis reliquiis exterminandis, caeteris omnibus longe antecellere, mihi usu sat frequenti, penitus notae & expertae sunt.

S E C T I O. III.

De albugine oculi.

Pag. 117. l. 18. *Anceps remedium experit quam nullum.*] De singulari prorsus virtute liquoris hepatis pisces, qui mustelae fluviatilis nomen gerit, in oculorum maculis & albugine sanandis; consulendae imprimis sunt historiae experimentis repetitis confirmatae, quas celebris Antonius de Haen medicus Vindobonensis scriptis suis publicae utilitatis causa editis communavit.

Odorum vires.

Pag. 118. l. 1. *Spiritu attractum sanum habitum inficere.*] Ut aliquod de nocentibus odorum viribus utile habeatur judicium, hujusmodi effluvia ad tria genera praesertim referri posse puto; nempe ad eam rem pertineant ea, quae imprimis ex vegetabilium fermentatione aut corruptione, vel 2do, quae ex animalium putredine, vel tandem tertio quae ex quorundam mineralium exhalatione ortum ducant. Verisimillimum enim videtur, quam plurimas febres

bres epidemicæ grassantes, sicut miliæ, petechiales, putridas & pestilentiales, nec non & permultos morbos colicae, hypochondriacæ, hystericae & scorbuticæ naturæ, quibusdam ex praedictis causis, nunc seorsim nunc conjunctim agentibus, omnino adscribi debere.



C A.

C A P U T X I .*De podagra.*

Pag. 120. l. 5. *Quod sibi inimicum est.]* Huic sententiae cum nostro auctore insistunt permuli medici, sanguinem ex faeculentis quibusdam, hujus morbi auxilio, depurari; eo quod finito paroxysmo melius se habent podagrifici, jucundiores sunt, & magis hilares, cum autem more assueto non redit, torpidi, sunt & ad negotia inhabiles. Hoc autem, si quod ipse sentio, proferre licet, a vivendi cacoëthe potius pendet, ex quo fit, ut vasā & viscera cibo & vino onusta & infarcta evadant, eadem autem, manente paroxysmo, per fortiorum humorum circuitum, & frequentiores resilientium fibrarum iectus, simulque ob viētum potumque magis modicum, salubrem, & abstemium, ab adhaerente viscida colluvie liberantur. Quin & eandem sententiam confirmant, ea, quae ex observationibus propriis didici. Novi enim quosdam à divitiis ad penuriam redactos, qui carcere tenuiter viventes, & aquam fere solam bibentes à podagra immunes existiterunt, laute autem & molliter se postea curantes, iterum fiebant podagrīci.

Pag. ead. l. 6. *In Articulos protrudere nititur.]*

*tur.] Dum Pedes, aut Articulorum vincula.
Ossiumve Juncturas solum invadit hic morbus,
Podagrici se medico nequaquam carere credent,
neque ullis praecepsis obtemperabunt. Male
itaque suo nomini consulit, qui iis alia medica-
menta, praeter lenissima cathartica, subinde
exhibit, quae colluviem onerosam ab alimentis
assumptis & inconfectis generatam ex primis
viis eliminent, cuius generis sunt Tinctura Rha-
barbari vinosa aut spirituosa, Tinctura Sacra,
Pil. Rufi, & similia, atque parce, frugaliter
& convenienter naturae vivere ipsis imperat.
Multo autem pejus, qui remedia aliqua singu-
laria parti hoc morbo afflictae extrinsecus ap-
plicat. Si enim ex causa qualibet, à medica-
mento toto caelo diversa, imo post plures an-
nos accideret materiem podagricam alio atque
alio loco exoriri, de infictiā & injuriis certis-
ime damnabitur medicus.*

*Pag. 120. l. 19. Ut in partem, quam prius
occupaverat, revertatur.] Nonnunquam enim
dolor Podagricus Juncturas Ossium relinquens,
Cerebrum, Pulmones, & Viscera Abdomen
occupantia, petit, praecipue in Senibus, &
iis, quibus, a frequentibus morbi tentationi-
bus, multum debilitentur vires, quo casu Apo-
plexiam, Lethargum, Pleuritidem, saevamque
Pulmonis, Ventriculi, Intestinorum & Visce-
rum Inflammationem mentitur.*

*Dignoscitur autem constitutione aegri ad
hunc morbum gignendum propensa, & cor-*

L poris

poris membris aut partibus affueti doloris vel propè vel prorsus immunibus.

His aegris uno ore laudant medici spirituosa, aromatica, summaque calefacentia, Alexipharmacæ dictæ, quibus materiam morbificam ad extrema expellere proponunt, sperantque.

Hic autem distinguendum est, an morbus ex debilitate sola, vel ex vi febris oriatur, quae materiam quaquaversum agitatam in aliena loca trudat.

Statum priorem adesse docent senectus, pulsus debilis, aegritudo ventriculi, spirituum languor tum praefens, tum praegressus cum pulsu praedicto, tremor, morbi omnes praegressi debilitantes, exinanitiones omnes nimiae, alia que similia.

Posteriorem denotant febris acuta, pulsus durus, dolor ingens, calor magnus, sitis, aetas juvenilis, vel media.

In casu priori profundit in primis balnea aquosa tepida crurum tenus, quae vesperi quotidie repetenda, his vero non juvantibus admoveatur. Plantis Pedum Emplastrum Cephalicum cum Euphorbio, aut paucò Pulvere Cantharidum inspersum, & si debilitas magna adfuerit, Vescicatoria partibus dolere affuetis imponenda, caeteraque ab Auctore hoc loco praescripta sedulo peragenda sunt.

Pag. 120. l. 21. *Id efficiunt sanguinis missio.]*
Haec exinanitio propter insigne podagricorum
præjudicium, saepe de die in diem adeo pro-
rogatur,

rogatur, ut tandem fiat vera partis dolentis inflammatio, & exinde cita mors. At nisi adsit summa debilitas, sanguinem imprimis mitti debere (ratione habitâ ad aegri naturam, vires & aetatem) indubie credo, eaque celebratâ, more praescripto curationem absolvere conueniat.

Pag. 123. l. 4. *Ut morbus locum quem jam tenet, deferat.]* Medicum attente in memoria servare hoc monitum oportet. Si enim caput, pulmones vel pleuram petat morbus, ad sintque dolor magnus, stupor, respiratio difficilis, aliave ejusmodi symptomata, mitti debet sanguis, imo & repeti ea ratione, quâ effraenato morbi impetu opprimi videantur aegri, etiam si debiles esse appareant; aliter periculosa equidem partium affectarum inflammatio nascentur, praemissa autem hac exinanitione, exhibendum est medicamentum catharticum, quod etiam, prout postulet malorum symptomatum status repeti debet. Eodem tempore derivantia & stimulantia praedicta sedulo applicanda sunt, ut horum ope in partibus assuetis excitetur dolor, sine quo vix convalescant podagrî.

Pag. ead. l. 6. *Quanto cum commodo multis in casibus.]* Hoc in nullo casu magis manifestum est, quam illo, quo juvenes, vel viri athletice valentes, aut habitu corporis plethorico gaudentes, ex intemperantia, exercitationibus violentis, aliisque similibus causis praegressis,

gressis, quae sanguinem exaestuare faciunt, non solum se in repentinum Podagrae paroxysmum intulerunt, quin haud raro in primis praeceteris partibus ad ipsum Cerebrum, Pleuram, aut Ventriculum confestim & atrociter hoc malum deduxerunt.

De hujusmodi Podagrīcīs promptissime & larga copia detrahendus est sanguis, & morbus more inflammationis verae, quae partem affectat infestavit, est curandus.

Etenim hac medendi ratione, sublata quamprimum nimia febris vehementia, profecto paulo post, naturalis & tutior multo subsequitur Podagrae paroxysmus, atque hanc rem ita se hisce morbidis prospere evenisse, ne uno quidem excepto, observavi.

Novi etiam juvenes aliquos, qui labe podagrīca a parentum vel saepius suorum culpa multati, primo ejus impetu quasi Epileptici & Apoplectici cecidere, at tamen praemissae curationis ratione habita, & exinanitionibus idoneis institutis, illico ferè pedibus laborabant, & fiebant Podagrīci.

Pag. 124. I. 10. *Temperanter aetatem agere.*]
 Vitare igitur omnino debent huic morbo obnoxii, vinum, venerem & crapulam, & praeceteris cibos aromaticos, acidos, acres, salinos, pingues & glutinosos; instar omnium autem prorsus exulendae sunt corporis desidia, mentisque curae & inquietudines, sic enim vult, sic jubet medicorum chorus omnis à gra-

vi & perspicaci Hippocrate usque ad Cadogan
seria facetii mista quam tempestive scribentem.
Apprime igitur in vita utile esset consilium il-
lud vere aureum, quod ab omnibus in perpe-
tua observantia habendum praecepit Seneca.
Bene & beate vivere, inquit, circumcidenda
duo sunt. „Et futuri timor, & veteris in-
commodi memoria.“



L 3

C A-

C A P U T X I I .*De doloribus articulorum.*

Pag. 125. l. 3. *Illi dolores qui cum inflammatione & tumore articulos invadunt.*] Hujusmodi morbi nunc Articulorum Inflammatione, & dolore acri, pungente, nunc magis obtuso & oneroso, eoque vago vel fixo comitantur; quibus omnibus mirum in modum variantur, tam proportione acrimoniae, aut lentae spissitudinis, quibus materia praedita sit, quam pro natura vasorum, quae se propriis suis indicis plus minusve relaxata, dura & tensa patefiant.

Distingui itaque potest commode, licet non accurate morbus, qui Articulos invadit, in eum inflammatione & febre acuta sociatum, eumque, qui harum expers est.

Oritur prior, ut plurimum, a frigore contracto, cui succedit horror, rigor, aliaque febris ineuntis symptomata: Haec insequuntur calor, sitis, dolor Articulorum sensim auctus, cum pulsu forti & duro plus minusve proportione inflammationis. Interea dum dies alter & alter procedat, membrum affectum gradatim tumet, & paulo post mitescit dolor, mox tamen aliud atque aliud occupat, novam quotidie excitans tragediam.

Oritur autem secunda species a causis quamplu-

plurimis, maxime autem ab acribus & spiffis humoribus, eo statu vasorum accedente, quo difficulter per vasa afflueta transire possunt. Cujus generis sunt tumores, obstrunctiones, contractions & distentions vasorum & nervorum undecunque natae, aliaque similia.

Pag. 125. l. 5. *His sanguinis missionebus.*] In Articulorum dolore, febre acuta & pulsu duro comitato, quae symptomata sunt Rheumatismi inflammati vera signa diagnostica, frequentes sanguinis missiones, nunc Lanceolae, nunc Curbitularum, cum scarificatione admotarum ope, omnino instituendae sunt, praesertim in juvenibus validis & sanguineis.

Cum enim in his omnibus crux missus crutam inflamatam ut plurimum eructat, pro hujus lentore & crassitudine plus minusve exinanitiones generales, ut & medicamenta, quae obstrunctiones reserant, & aestum sanguinis & humorum refrigerant, & compescunt, adeo de industria postulantur, ut in hac medendi ratione solum & totum ponatur hujus morbi fannandi arcanum.

Novi autem nonnullos ob malam curationem, & praecipue ubi in morbi initio defuerunt idoneae exinanitiones, tam sanguinis detractione, quam alvi purgatione; quibus per plures menses manserunt hujusmodi dolores, qui tandem eousque aegros debilitarant, ut febre hectica laboraverint, cum cruribus quasi Leucophlegmatiam perpeccisis, & fere hydropicis, seu potius calibus, quales phthisicis contingere solent.

L 4

His

His multum profunt Chalybeia medicamenta, quae cum lacte asinino assumenda debent, adjectis omni Lactis Potioni Spiritus Cornu servi guttis quibusdam, interpositoque semel in Hebdomada cathartico leni ex Rhabarbaro, aut similibus.

Illud autem animadvertere oportet, hujusmodi dolores foeminas plerumque frequentius quam viros obsidere, easque praecipue, quibus, ob menstrua retenta, aut suppressa, adveniat morbus, & ad quem tollendum perpetram exhibita fuerint medicamenta calida, aut quae menses cieant maxime.

Interea minime praetereundum est, me novisse etiam non paucos viros, artuumque dolore acuto correptos, qui medicamentis calefientibus, sudatoriis & vesicatoriis tractati, gravia junciturarum immobilium mala, seu Anchyloses nulla arte sanabiles, toto quod vitae miserae supersit, passi sunt.

Fugienda itaque saltem in prima hujus morbi accessione talis curandi ratio.

Pag. 125. l. 7. *Si nulla.*] In his scilicet distinguendum est, an cum vel sine tumore, existat dolor. Si tumor adsit, cuius sit generis, & pro ejus ratione curandus est morbus.

Nam si ex tactu sese innotescat Pus, aut Ichor, aut aliquid simile, educendum est, si fieri possit; & pars affecta, aperta, vulneris ritu, servanda & medenda, donec materies penitus exhausta sit, totumque, quicquid sit duri

&

& callosi, penitus abeat. Sanato autem vulnere,
paulo infra fiat fonticulus latus & profundus:

Convenit quoque partem affectam contra frigus munire cum emplastro ex Cymino & similibus, praesertim tempore hyberno, aestivo autem, si multum debilitetur membrum, Aqua frigida lavare, praecipue Aqua marina non alienum est.

Quamvis de Articulorum doloribus, qui sine tumore saepe accidunt, nulla apud Auctorem facta est mentio, de his verbum unum aut alterum hoc loco addere, mihi aequum videtur.

Hujusmodi dolores ideoque ad vagos & fixos satis apte referendos posse arbitror.

Priores ab humorum acrimonia plerumque oriuntur, & leni Alvi subductione subinde repetenda, & remediis, quae ad particularum mobilium & movendarum coniunctiones minus tutas solvendas, & liberiorem circuitum promovendum vim habeant, larga simul humectantium & demulcentium copia exhibendis, ratione habita ad corporis constitutionem calidam, scilicet an frigidam, plerumque fanantur.

His etiam aegris, si acuti urgeant dolores, multum commodi adfert sanguinis detracatio, modica tamen copia eam fieri necesse est; raro quippe crustam inflammatam eructat crux, & proinde ad symptomata praesentia gradu quadam allevanda, (scilicet acrum irritationem tollendo, & fibrarum tensionem nimiam laxando) potius quam ad ea directo sananda instituitur haec exinanitio.

L 5

Hanc

Hanc morbi speciem plerumque pulsus creber & debilis, cutis sicca & aspera, calor modum naturalem parum trahens comitantur, nisi forsan vel vesperi exacerbetur aestus, vel vehementia doloris aliquando ex rudantur sudores. Hoc vero rarius, atque hystericis, scorbuticis, eorumque consimilibus, aliis magis familiares sunt hujusmodi dolores.

Hoc loco non ab re erit monere, dolores, qui a lue venerea saepissime oriuntur, jam expositis prorsus contendere, ita quidem, ut difficuler a se invicem dignoscendi sint, nisi vel medico nota sit aegri vita, vel ingenuae ex ore suo peccati condemnatus sit. Quisquis ille est, qui hoc morbo laboraverit, licet plures anni intercesserint, de eo suspicari fas est.

Hi autem dolores plerumque ossis medium occupant, membra torpida & gravia reddunt, & a vesperi ad medianam noctem plerumque ingravescunt, & mane abeunt. Dolores autem scorbutici, licet vesperi & nocte exacerbentur, per diem etiam manent, & ossium juncturas praeceteris infestant.

Posteriores autem, scilicet articulorum sine tumore dolores fixi, ab ipsis causis praecipuum originem ducunt, quibus vel arctius justo constringantur partes quaedam, vel plus aequo dilatentur, & resiliendi vim debitam amittant, & poinde vel fit resistentia nimia liquidis transmissuris, vel nimia in articulos humorum derivatio.

Dignoscuntur priores crassitie membra in articu-

ticuli vicinia siti , pituitosa , molli , alba , ae-
quali , parum vel nihil ad tactum dolente , non
tamen cum tumore prominente aut inflamma-
to , quo plerumque comitantur illi , qui in not.
ad Pag. 125. l. 3. definite designantur.

Medicamenta , quae Alvum fortiter ducunt ,
his aegrotis plurimum proficiunt , praecipue ea ,
quibus Hydrargyrum inest : Viribus interea
prospicere oportet ; ut certe repetenda sit iterum
atque iterum talis copiosa Alvi purgatio , prout
illae hujusmodi exinanitiones ferre poterunt .

Inter rem hanc agendam , per idoneas vices ,
Electarium e Cinnabere & herbis amaris & aro-
maticis compositum , una cum Haustu ex De-
cocto Ligni Guiaci , vel ex Aqua Calcis m. c.
exhibere commodum erit .

Quin etiam ulcera , vel manu Chirurgi , vel
medicamentis exedentibus , paulo infra partem
morbo affectam excitare oportet ; juvat simul &
frictiones calidas , siccas , aromaticas , & simi-
lia omnia adhibere , quae humores pituitosos ,
crassos solvere , & discutere valeant .

Quum hoc modo inducias aliquot dierum cum
dolore pacisci potuerimus , omni ope molien-
dum est , ut pars violata eruptam sanitatem re-
cuperet , huic autem fini consequendo optime
conducunt balnea frigida , nequaquam tamen ex-
siccanda sunt ulcera , quae prius , ut supra prea-
cepi , instituenda deberent .

His etiam aegrotis insigniter prosunt vesica-
toria , aut cucurbitulae cum scarificatione , mo-
do parti dolenti imponantur ; nec non & eam
ure .

urere Lino, Moxa & Causticis, singulari ope-
re, artificioque perfectis, vel ipso Ferro can-
denti.

Dolores denique fixi, ex nimis astricta &
tensa partis compage & natura nati, sese pro-
dunt ejusdem duritie, & dolore majori, acrio-
ri, ad minimam iuncturae flexionem.

Sanantur hujusmodi dolores, detracto, pri-
mum quantum opus sit, sanguine, moderata al-
vi purgatione pro re nata repetenda, frictioni-
bus cum medicamentis oleofisis, laxantibus, dis-
solventibus & humectantibus dictis; balneo te-
pido, vietu humido, molli, motu partis ipsius
sensim aucto, & fonticulis juxta positis.


Caeteris autem externis adhibendis, meliora
sunt balnea tepida, quae, vel toto corpori, vel
ipsi parti applicanda sint; & cum plus emollit
vapor, quam balneariis aquis se proluere, va-
pores molles, tepidos adhibere praecipue con-
venit.

Licet in dolentibus hisce fixis curandis, pa-
rum de fluidis, seu humoribus, fui sollicitus;
quippe in parte affecta plerumque latet causa,
cur in hanc p[re] caeteris fiant humorum deri-
vatio, partis tumor & inde dolor; nihilominus
tamen nunc acrimoniam quadam, nunc crassitu-
dine, & non raro ambobus peccatur.

Prior status pro vario ejus genere contrariis
corrigendus est, modo satis pateat humoris in-
doles, sin aliter, humectantia & obtundentia
generalia exhibere oportet; eo quod singularis
acrimoniae diagnostica non raro obscura sunt,

&

& cognitu difficultia, iisque facile falli potest medicus. Medendi autem ratio generalis semper tuta & utilis, & praecipue si medicamentis, quae plus minusve fanguinis motum & atritum promovendi, vel ejus crassitudinem nimiam attenuandi & diluendi vi polleant, coniuncta fuerit.



C A:

C A P U T XIII.*De morbis cutis.**De scabie.*

Pag. 128. l. penult. *Qui animalculis ortum suum debeat.*] Hac data morbi causa, annixa veterum medicorum sollicitudo de humoribus praeparandis, purificandis, & expurgandis prorsus supervacanea videatur, attamen experientia frequentissime edocetus, quasdam cautions in scabiei curatione prosequendam adeo ex usu observandas esse comprobavi, ut de iis pau-
lo plura obiter memorare mihi in animo est. In-
primis igitur certae fidei res est, laudatissima
remedia, qualia ab autore nostro praescripta,
vix tutò extrinsecus administrari unquam posse,
nisi praecesserit modica alvi subductio, porro
& apta sanguinis missio, si mala equidem for-
tunata turpis haec & contagiosa lues (vermium
quasi agmine facta) multum aut diu in corpore
pleno facvierit. Praeterea per totum morbi cu-
rationem, non solum laxam servare alvum, sed
finito penitus remediorum externe admotorum
usu, potiones catharticas, quales morbis in-
flammatione comitatis convenient, ter quaterve
per idonea intervalla exhibere oportet, corpus-
que totum tandem balneo aquoso tepido lavari
omnino necesse erit.

C A-

C A P U T X I V.

De strumis.

Pag. 131. l. 22. *Pertinaci itaque & periculoſo huic morbo omnibus modis occurrentum eſt.]* In curatione hujus morbi aggredienda, id pri-
mum totis viribus moliuntur chirurgi, ut medi-
camentorum ex argento vivo compositorum
auxilio, hujusmodi aegros salivandos reddant,
quod ignare, & nulla habita corporis, conſti-
tutionis, & naturae ratione, omnibus laudant.
His quidem aegris, irritis aliis remediis, modo
fana fint viscera, haec medendi ratio nonnun-
quam utilis eſſe potest; hec̄ticis autem & debili-
bus, aut diuturna cachexia laborantibus, ſae-
pe certe & cito exitialis evadit.

Pag. 132. l. 7. *Qui a viscidis humoribus na-
cuntur.]* Hae glandularum farturae & oppila-
tiones raro tanto dolore comitantur, ac ſi vera
inflammatio iis ſimul adſit; ſin vero ita fieret,
inprimis curatione idonea maxima ex parte mi-
nuenda eſt inflammatio: dein medicamenta ex
Hydrargyro parata, caeteraque remedia ipſi ma-
lo propria, pro re nata exhibere omnino con-
venit.

Morbis enim his diuturnis non tantum pec-
cant vasa partis, quin etiam humores per ea

con-

continuo permeantes, acrimoniam, pro diversa liquorum naturâ, diversam induunt; & proinde decoctis e lignis calidis scilicet, seu temperatis, salibus acidis, aut alcalinis commixtis, aliisque similibus, corrigendi & emendandi sunt. Spissi enim simplices humores omni acrimoniâ carentes rarissime quidem occurunt, aut investigari nequeunt.

Lentam autem & acrem *hanc humorum pravitatem* designant glandularum tumores, parum vel non dolentes, Leucophlegmatiâ comitati, pulsus non multum a naturali aberrans, urina crassa cito putrescens, fitis, membrorum lassitudo, dolores tam fixi, quam vagi sine signis inflammationis.

Sanatur haec strumarum species mercurio dulci sublimato, parva copia, debitiss intervallis per os sumpto; adjunctis decoctis humectantibus & sedantibus, quae pro gradu caloris ex radicibus Chiae, Sarsaparillae, Sasafras, Guiaci, & similiū, paranda sunt.

Ex usū simul erit, ut Cathartica lenia subinde interponantur; & diebus a purgatione liberis, balneo, tepido aut fotu emolliente, cum commoda partis frictione, uti oportet; ut ibi derivetur vis mercurii dulcis, ubi maxima est vasorum oppilatio.

Hicce enim adjumentis, quae ruptura sunt, laxantur; adeo, ut non solum fartis e loco cedere liceat; sed praecavetur simul nimia globulorum sanguineorum in se mutuo attritus, ex quo hectica habitudo induci possit.

His

His ad satis longum tempus perductis, Aquae minerales, pro vario gradu dominantis mali, optima praebebunt auxilia.

Morbo denique maxima de parte subacto, & cum jam convaluisse videatur aeger; generali corporis habitum cortice Peruviano, & Chalybeis medicamentis, quae caute & prudenter assumenda sunt, roborare nunquam non expedit.

Quamplurimis autem aegris, qui hujusmodi morbis, porro & saevis articulorum doloribus, ex humorum crassa, strumosa, aut venerea indole & natura ortis laborent, mihi jamdudum in frequenti fuit usu, medicamentum *infra praescriptum* exhibere; quod, praemissis idoneis exinanitionibus, se singulari prorsus modo, exoptatissimis viribus esse praeditum, mihi extra dubium posuit experientia non temere & fallaciter, sed caute & vere instituta.

℞ Mercurii calcinati granum unum, Florum Sulphuris lotorum, grana quinque, conterantur simul f. al addendo Confectionis Democratis grana decem, Conservae Florum Lavendulae, seu Rorismarini Scrupulum unum, Syrupi Croci, q. f. m. f. Bolus; qui singulis noctibus, hora somni, sumendus est, una cum Infusi amari simplis unciis duabus, aut Julepi e Camphora uncia unâ, vel cyatho decocti e Lignis & Radicibus ex aqua, quale antea saepe memoravi. Haec continuanda sunt spatio decem dierum, alvus ope Rhabarbari vel Infusi Senae communis, tantum laxanda est; & quies vesperi, si res postu-

M

let.

let, leni anodyno concilianda. Interposito autem die uno vel altero, eandem medendi & purgandi rationem renovare, eaque, per sex vel octo hebdomadas, perseverare convenit; seu usque quo pateat, num morbo sanando aut levando par sit curandi modus.

Si aegroti intestina boli usum male ferentia, nimis irritata & laxa evadant, *Electarium e Scordio*, aut *Theriaca Andromachi*, satis apte fungetur vice *Confectionis Damocratis*. Rarissime autem tale quid accidisse compéri, nullas enim turbas excitat hujusmodi Bolus, qui omnes interiores corporis meatus placide ingreditur, vasorum & glandularum obstrunctiones referat, simulque, ut verbo quasi dicam, eas, caeteris omnibus remediis ferè innumerabilibus, quae expertus sum, citius & tutius depurat.

Pag. 132. l. 25. *Sin autem corpus macilentum sit.*] Acrimoniae species, quae in hujusmodi aegris, ut plurimum praepollent, pravitati hecūtiae affinis est, eodemque fere modo curari debet, nisi quod macilentis hisce praeclaram opem non raro adferre solent aquae acidulae dictæ, ut Pyrmontanae, Spadanae, Scarborogenses, interpositis nonnunquam medicamentis, quae humores diluunt, refrigerant, & alvum leniter solvunt, cujus generis sunt succi Taraxaci, Endiviae Lujulæ, & id genus alii. Haec autem medendi ratio tabidis verâ febre hecūtâ laborantibus funesta evadit.

Pag. 134. l. antepen. *Reges autem Galliae.*] Quando nihil quidem est, quod credere de se non

non possit princeps , cum laudatur diis aequa
potestas, minime mirum est, ut Galliae rex cre-
dulus dolosa juris divini larvâ superbe donatus,
non opinione solum , sed etiam ad veritatem si-
bi hoc persuadeat, se morbum strumosum in fu-
gam prorsus conjicere posse, modò manum ae-
gro imponere, atque ex ore magna haec sonan-
tia verba simul proferre vellet, *Rex te tangit,*
Deus te sanat.



C A P U T X V.*De scorbuto.*

Pag. 135. l. 12. *A foedis in ore cruribusque ulceribus.]* Haud bene sapere dicatur ille medicus, qui, morbo jam ad medium prope- rante, tum primum advenientis signa suspicari se satagit. Certò nimis sero est sapere, cum per moras adeo invaluerit malum; ut jam lippis & tonsoribus notum se palam fecerit.

Scorbutica autem humani corporis constitutio multo citius adesse indicatur, & proditur habitu corporis, qui calorem, naturali paulò sed certo majorem, exhibet; atque variationes Caeli, quoad calorem & frigus, aliis citius percepit, iisque magis afficitur; pulsu frequenti, & saepissime debili, & cutis, siccitate plerumque coniuncto; membrorum quasi defatigatorum, & muscularum quasi lassitorum gravitate, sine ulla patenti ratione; impotentiâ, spontaneâ, artuum doloribus, lancinantibus, nunc vagis, nunc veluti a contusione fixis; & nisi alia etiam adfuerit causa, ut plurimum sine tu- more; somno difficiili, inquieto, qui ad vires vitales & animales reficiendas parum conducit.

His autem, ingravescente adhuc morbo, se accedunt linguae fordities, orisque factor, gin- giva-

givarum laxitas cruenta, saniosa, urina cito putrescens, sanguis ex venis missus floridus, tenuis, minus cohaerens, maculae rosei, flavi, fusci, lividique coloris circa artus praecipue erumpentes.

Pro horum symptomatum varietate & gradu, humorum acrimonia calida, frigidave, simul & crassitudo fese innotescunt; & proinde prava ex hoc morbo provenientia mala remediis humectantibus, aperientibus, plus minusve refrigerantibus, non uno atque constanti modo, sed copiâ alia atque aliâ sociandis depellere oportet.

Attamen verbum amplius addere, ut mihi videtur, vix aut ne vix quidem locus est. Quicunque enim intima hujus morbi proteiformis penetralia adire optet; consulat in primis admirandi illius viri, olim medicinae professoris Hermanni Boerhaave *Aphorismos*, nunquam sat-
tis in honore habendos; nec non & Commen-
taria eruditissima quadripartita à celeberrimo &
fidissimo eorum Interprete Barone Van Swie-
ten (*) edita; utpote doctissimis his scriptis
omnia, quae ad hujus morbi historiam, deni-
que

(*) Ne Lectori ex iis, quae hic scripta inveniuntur in cuiusdam culpae suspicionem venirem; hoc loco aequo jure admonendum est, mensem jam secundum actum fuisse ex illo, quo hasce notationes in typographi potestate tradideram, cum primum ad Britannos de Baroni van Swieten morte, nec non & ejus commentariorum tomo quinto, tum deum in publicum emissuro; perlata erat fama. *Additam. Aut.*

M 3

que causas, indolem, symptomata, denique & medendi rationem, variis suis gradibus maxime accomodatam, pertinere queant, adeo perspicue, adeo accurate recensentur; ut ea decies legisse, imo & decies adhuc renovasse opus, non minus utile quam dulce Lectori fore, expertus affirmare in me fuscipiam,

Pag. 138, l. 26. *Dissolventur.*] Omnes enim humani corporis humores postquam putridi evadunt, ad alcalinorum classem referri possunt & debent; unde inflammationes, suppurationes, dolores acerrimos, imo gangraenas & sphacelos inducendo, hujusmodi aegris exitiale tandem nascitur malum.



C A-

M

C A P U T X V I .

De malo hypochondriaco.

Pag. 141. l. 17. *Ad hepatis usus immittat.*] Nemini quidem dubium esse potest , qui Lienis fabricam ex se , & ex sua naturâ secum in animo contemplari & considerare queat , Bili praeparandae & secernendae praeferit in servire hoc viscus.

Situs enim est lien in hypochondrio sinistro diaphragmate pendulus , a cuius motu , & compressione muscularum abdominis , perpetuas agitationes , & omnis generis pressus sustinet , Arterias à Coeliaca , nonnunquam ab ipsa Aortâ , ideoque & purum sanguinem spiritibus animalibus dictis divitem , recipit . Harum arteriarum nonnullae mirum in modum convolutae sibi ipsis fines & terminos , seu compages glandulis non absimiles , constituunt ; dum aliae , praemonstrantibus Glisson , Malpighi , & Ruy sch , suos sanguinis rivos in infinitum cellularum numerum distribuunt .

Illud insuper singulare habet hoc viscus , quod nervi , qui ad liensem transeunt , una sumpti , longe majores sunt , quam vel ejus sensus vel motus se desiderare testantur : quippe sentiendi facultate admodum obtusa fruitur , & motum nullum habet , nisi quem ab agitatione Diaphrag-

matis, & renixu & relaxatione muscularum abdominis reciproce agentium recipit; atque ideo necesse est ad aliud quoddam perficiendum, fieri hunc insolitum nervorum dispersum & donationem.

Quisquis autem hanc corporis humani & Lienis conformatiōnē secum perpenderit, is sanè facile perspiciet, istam ita designatam fuisse scilicet, ut una cum liquore tenui a glandulis praeditis secreto, laticem suum subtilissimum in cellulas deponere possent hujus visceris nervi; ubi ob frequentem Lienis agitationem, & infinitam compressionis varietatem, intime cum sanguine commisceantur, & tandem in venam Portarum deferantur ea, quae bili conficiendae idoneum praebeant liquorem.

Hoc ulterius patet ex eo, quod Lieni non datur emissarium secretion destinatum, prout in aliis visceribus res sese habet; sed omnia simul commista per venam splenicam in Portam feruntur, exitque sanguis ab hoc viscere tenuis, lymphā & spiritibus abundans, vix concrescens, aut in crassam serosamque partem secedens, quod caeteris venis familiare; sed contra; rubore purpureo splendens ex hac venā, longe fecus quam ullis aliis emissus, in venam Portarum defertur.

Clarissimus Keil hujus visceris fabricam pendens, sanguinisque velocitatem ibi ita minutam inveniens, ut vix ducentesimam velocitatis partem haberet, qua per splenicam arteriam transit; hanc velocitatis diminutio-

tionem eo fieri contendit, ut attractione suâ fortius adunatae essent sanguinis particulae, & faciliter se mutuo attraherent glutinosae & tenaces.

Recte quidem de velocitate diminutâ sensit vir ingeniosissimus, de materiâ autem ad momen-
tum glutinis cuiusdam inde formandâ res aliter
se habet; quippe *sanguis* tenuis, admodumque
fluxus in *venam splenicam* immittitur, & hoc
majori ratione quam in reliquis, quod ex praedi-
cta hypothesi nequaquam eveniret.

Rectius certo conjecturam assecutus esset iste
medicus, si seposita attractionis hypothesi, hu-
jus visceris munera & potestates, quibus san-
guinis crassitudo redditur naturali multo tenuior,
diligentius observasset. Quamvis enim bilis,
quae a sanguine fecernitur, humor est fere
omnium inde separatorum tenacissimus, in se
tamen *nihilominus* amaras, acres, & saponaceas
qualitates possidet; quas induere non potuisset,
nisi diu calore blando fota fuisset haec humo-
rum admixtio, adeoque ei conservata fuisset
fluida natura, ut particulae in se mutuo agen-
tes vires suas exerere valuerint, quod in sta-
tu admodum viscido vix faciendum videretur.

Neque hoc tantum inde fieret incommodum,
quin glandularum hepaticarum ope separanda
non potuisset bilis; nisi naturâ adeo in primis
fluidâ in eas propulsâ fuisset, ut tandem sepositis
particulis bili conficienda minus idoneis,
coirent illae vere biliosae. Cum autem liquida
glutinosa, tam inter se, quam ad contactum

canarium, fortius cohaerent prope emissaria angustissima, qualia sunt ea in hoc viscere; occludi ejus vasa necesse est, eo quod vis occludendi non pendet a solo pressu canarium continentium & liquidi superne incumbentis; sed componitur ex momentis harum ipsarum Facultatum, & momento lensoris, quo illae partes ad contactum haereant.

Graviter ideo errasse, seu potius despiciuisse dicantur ex veteribus quamplurimi, qui bilem, ut excrementum noxium, & inutile judicarunt; cum ad hanc formandam & secernendam plus Artificii, (*) quam ad alium quemvis humorum, imo fere quam ad omnes alias à sanguine separandos requiritur. Nonne multo rectius de hoc liquore affirmare possumus, quod sana bile sana plerumque erunt omnia?

Pag. 141. l. 19. Molle viscus tumore distenditur.] Exfecto liene animal falacius est, adeo que mictus frequentissimus cum ingenti voracitate; quorum omnium rationem docent arteriae spermaticae, renalis, & coeliacae situs, & connexio.

Nec minus adsunt in primis diebus vagi ventris crepitus insueti, nausea & vomitus; quae ex prioribus, & nervorum, stomacho & lieni inservientium, situ, comparatis simul, satis patent. Temporis autem progressu fit tumor in op-

(*) Vide, An Experimental Enquiry on some parts of the animal Structure. P. 229.

opposito Hypochondrio ob incrementum hepatis.

Cum igitur satis notum est hypochondriacos his symptomatibus, gradu licet minori, una cum vultus pallore affici, eos Lienis obstructio-
nem quodammodo pati, verisimillimum est.

Pag. 141. l. 19. *Pancreas ubi male habet.*] Qui pancreatem & lienem infarctos habent, iis copiosum edere sputum perpetua consuetudo est. Serosi enim latices in circuitu suo per haec vasa impediti faciliter via ad glandulas superiores transeant, & ibi magnâ copiâ more salivae ex-
cernuntur.

Pag. 142. l. 5. *Sanguis in vena portarum ne- que pro more solutus.*] Statum adeo fluidum, quem liquor possidet, qui in sinu venae portarum continetur, oleosis hisce particulis huc de-
latis & admixtis aliquantulum deberi in confessu est: attamen haec ejus conditio adeo necessaria est mechanismi multo magis artificiosi & subtilioris totum fere opus; & quod, hac data occasione, paucis explicare haud alienum erit; praesertim cum ab omnibus Anatomicis, quantum scio, vel omnino praetermitti, vel parum intelligi videtur.

Cum sanguinis habilitas ad fluendum a motu suo progressivo praesertim pendet, eo quod hoc cessante, brevi in grumos concrescit, & in circulis suis & secretionibus conficiendis pror-
sus impar fit. Providens itaque natura liquoris
uti.

utilissimi, bilis scilicet, separationem moliens, summâ cum sapientiâ intempestivam globulorum conjunctionem prohibet.

Quamvis ex insigni & plane admirandâ motus diminutione, quâ sanguis ad hepar defertur, clare patet, illum inde necessario fieri crassiorem, motuique minus idoneum: hic tamen singulare quoddam obtinet, quo nil minus fluidus admundum ejus status conservatur, quam si velociori cursu sine tali mechanismo propulsus fuisset.

Hoc docent anastomoses innumerae tam majorum quam minorum ramorum mesentericorum se invicem reëtos ad angulos plerumque decussantium: Hoc perspicuis suffragiis ulterius confirmant varii celeritatis gradus, variaeque loci, situs, & cursus mutationes, quibus tales particulae prae caeteris subiectae sunt; utpote hâc consummatâ arte ad exitum perducitur, innumeras fieri hujusmodi globulorum in se multo percussiones & repulsus, sanguinemque & humores per haec vasa circuitus suos facientes, validas in intimis eorum partibus agitationes, triturasque pati, atque ex alio tenuitatis gradu in aliud & tenuiorem perpetuo incidere.

Talis autem fabrica, quae tam progessum sanguinis retardare, quam ejus fluorem conservare posset, absolute esset necessaria; eo quod cum per longas ambages, diuturnum caloris fomentum, & tandem non immediate ab arteriae sed venae portarum ramis, separandus erat biliosus humor; maximâ opus erat cautione, ne ido-

idoneum fluorem amitteret sanguis, neve in grumos coiret, & inde secretioni impar fieret, priusquam particulae biliosae, debitam acrimoniā, debitamque coagmentationem acquisivisse potuerint.

En igitur mira naturae solertia, ut & ipsa motus progressivi diminutio, quae caeteris corporis partibus sanguinis & humorum crassitudinem adauget, nunc peculiari artificio, eorundem, qui per anfractus admodum difficiles & intortos mox transituri sunt, habilitatem fluidam conservare destinatur.

Pag. 142. l. 11. *Istaec omnia morbi hujuscē naturam patefaciunt.*] Peccantibus hoc modo in functionibus peragendis praecipuis visceribus, observatu non est indignum, hypochondriacos pomeridiano tempore plerumque anhelos fieri.

Pag. ead. l. 16. *Causae autem multiplices hujus mali.*] Hic morbus in primis eos prae caeteris mortalibus invadit, qui desidis otia vitae coluerunt, aut curis, moestitiae, studiisque se maxime dedere; unde deficit apta humorum mistura, exhauriuntur spiritus, & vel stagnat, vel justo tardius it sanguis per ramos exiliores. Cum autem in vasis mesentericis & hepaticis prae caeteris debilior est motus, in hisce in primis obtinent hujusmodi mala.

Tales aegri, ut plurimum ad negotia quae libet inhabiles sunt, & praesertim conqueruntur

tur de ventriculi inflatione, cibi fastidio, ructu acido, amaro, bilioso, prout assumptorum natura propendeat, lassitudine, spirituum inopia, & frigore extremorum; thalamis se componentes, subinde se suffocaturos fore credunt, & terrore quasi attoniti expurgiscunt, & vel erecti sedent, vel in cubiculo per tempus aliquod perambulant. In somniis etiam molestis saepe in terrores aguntur. Vigiles interea, quamvis acri polleant judicio, irresoluti tamen sunt & instabiles, nunc torvi & morosi, nunc & laeti, hilares, & jucundi sine datâ causâ aliqua sensili.

In hac autem sententia fere solâ sibi constantes sunt, quod morbo quodam insanibili & calamitoso se laborare arbitrantur, ita ut frustra contra hanc phantasiam adducuntur argumenta, nunquam enim ita sentient, medicumque porro, qui *ipsis rationes ostendere conabitur*, quibus mala allatis leviora, aut his longe diversa, adesse inferre liceat, omnino ignarum & causae & calamitatis censemebunt.

His ante omnia conducunt Aquae minerales, quae alvum leniter cieant, datis simul, horis maxime commodis, scilicet post prandium, & vesperi, medicamentis, quae ex Gummi Ammoniaco, Sagapeno, Asafoetida, & Sapone Amygdalino, aut similibus commiscenda & componenda sint.

Sin vero tales Aquae in promptu non sint, subinde leniter subducenda est Alvis, interpositis praedictis, per satis apta intervalla, &

pos-

potu morbi naturae maxime congruo, socia-
tis.

Ad hoc etiam propositum pertinent remedia,
quibus Hydargyrum ineft, ut Cinnabar, Mer-
curius Alcalifatus, Mercurius dulcis sublima-
tus, vel Argentum vivum quocunque modo
extinctum, ut facile iterum solvatur, Gummi
Gujacum, aliaque similia.

Eodem tempore victu salubri & humido ae-
ger alendus est, nec ultra semel in die carnem,
eamque teneram ex animalibus junioribus come-
dat, cum paucō vino, eoque multā aquā dilu-
to, pro potu communi.

In medicamentis autem, aliisque cujuscunque
generis remediis exhibendis, ad indolem pre-
dominantis acrimoniae respicere debemus; exem-
pli gratia: si sola humorum crassitudo peccet,
vel si adsint etiam pallor, frigus, &c. ex qui-
bus unā cum lentore acidum conjungi suspicari
fas sit. Utrisque his prosunt praescripta, sed
si simul adjungatur calor, alia res est, peccat
quippe alcali glutinosum; ideoque lenibus sub-
acidis & nitrosis tractandi sunt aegroti, additis
dilutissimis & paucō melle miscendis.

Interim curandum est, ut equitatione &
lecentimentis, quasi fortuito utantur, aliter non
obtemperabunt.

Resolutis horum ope crassis primi ordinis hu-
moribus, adhibenda sunt Chalybeïa, vel etiam
in initio exhibenda, modo non nimis infar-
ciantur vasa.

Si nolit aeger uti aquis mineralibus unā cum
me-

medicamentis, quae vasa & viscera deonerent, exhibere oportet succos antiscorbuticos temperatos, vel calidores, prout postulant vivendimos & constitutionis indoles.

Tempore autem hyberno danda sunt Gumi mi praedicta cum infuso amaro simplici vel foliutivo, ea ratione, quâ petat alvus; porro & aquas destillatas spirituofas dictas Infusis hisce, vel Succis jam memoratis, tantâ copiâ adjiciendas esse, ut ventriculo congruant, haud alienum erit; de his autem illud insuper monendum habeo, ut portione perrara & quam modica exhibeantur.

Oritur secundo & hic morbus ab omni causâ, quâ vasa, viscera, & nervorum compages plus justo relaxentur, & debilitentur; quales sunt vigiliae, morbi omnes chronicci, febres continuae diurnae, maxime intermittentes, quartanae autumnales, diu aegros infestantes, diarrhoeae longae, fluxus sanguinis nimius per vasa uterina, haemorrhoidalalia, fluor albus, & similia.

In hac specie curandus est morbus primitivus, interpositis remedii antihystericis dictis, modo primae intentioni non repugnant. Deinde danda opera est, quantum fieri potest, ut habitâ ratione & virium & morbi, roborentur aegroti corporis compages & fabrica; videlicet, si ex causa frigida, aut labe simili proveniat morbus, amaris calefacentibus, maxime autem Chalybe & Cortice Peruviano, aquis Batho-

thoniensibus cum equitatione forti et diurna tractandus est.

Sin vero a causa calidâ, ab humorum acrimoniâ, morbo acuto praegresso oriatur hujusmodi malum, adgitve febris heclica cum calore sicco, pulsu frequenti, &c. obtundentibus & lenientibus, lacte asinino, aquis mineralibus acidulis dictis, equitatione modica, in aëre subfrigido, ut calorem non augeat, curandum est, exhibitis perparce medicamentis antihystericis, quoties vel hujusmodi adsiunt paroxysmi, vel languor, aegritudinis nimis frequens tentatio, spirituum moeror, vera virium debilitas, aliae consimilia symptomata urgeant.

Haec morbi species foeminas teneras delicas, quibus rari & acres sunt humores, praecaeteris obsidet.

Levatis autem hoc modo humorum calore & acrimonia, his etiam ad fibrarum habitum roburandum prosunt medicamenta ex cortice Peruiano, radice Quassî, & Chalybe confecta, at his tamen minori copia quam prioribus exhiberi debent; simulque eodem tempore in diaeta tenui & levi, lacte asinino sociata, ad humores ulterius demulcendos & leniendos persistendum est.

Oritur & tertio morbus hic hypochondriacus ab exinanitionibus assuetis suppressis, vel copia diminutis, praesertim cum iis foeminis mulierium fluxum subito clausum pati contigerit, quibus, menstruis abundare & effluere, in conuentudinem cadebat.

N

In

In hac specie bene consideranda sunt tum copia & natura humoris suppressi aut retenti, tum ipsius habitus, an scilicet calidus vel frigidus, astrictus vel laxus, & an debilitate & languore, vel febre & dolore conjunctus sit morbus.

Illud autem insuper scire oportet, quod foeminae, quibus validae sint vires, a mensibus acrive aliquo humore inopinatò retentis, saepe vel miris nervorum distentionibus torquentur, vel doloribus saevis excruciantur; etiam atque his praesentibus, novi & non raro, simul adesse febriculam.

Haec autem symptomata missione sanguinis ex brachio vel saphaena pro ratione virium, moderata alvi subductione, scilicet ope Salium refrigerantium cum pulvere Rhabarbari aut infuso Senae commistorum, nec non & interpositis pro re nata anodynisi, aliisque febri necessariis, tractanda sunt.

His demum morbi causis subiectis, aut satis domitis, ad principem tollendam respiciendum est, ut in statum naturalem reducantur exinanitiones suppressae, nisi plane perniciose sint; tunc enim vel moderandae sunt, vel aliae eorum vice ex arte instituenda: si vero eadem res foeminis laxo & frigido corporis habitu praeditis accidat; seu materia parvâ copiâ retenta, indolisque lenis sit; raro hujusmodi malis percelluntur & affliguntur tales aegrotae; de tempore autem & membrorum segnitie, dolore gravi, & debilitate, &c. plerumque conqueruntur.

His

His nunquam non adeat pallor vultus cum carne molli, fibris laxis, & tumore livido & flaccido sub oculis, una cum pulsu tardo, humili, & depresso.

His quam maxime prosunt remedia amara, aromatica, Gummi acria, medicamenta ex Cinabere composita, & similia omnia, quae humorum vitalium cursum promoveant, & diluendi & attenuandi vi polleant.

Dein roborandae sunt fibrae more prius praescripto, Chalybe scilicet & cortice Peruviano, amaris & calefacientibus sociato; datis, quoties opus fuerit, lenibus catharticis, ex tintatura sacra, & similibus, ut & anodynis, & aromaticis, pro symptomatum varietate & exigentia.

Pag. 142. l. 20. Nunc consitit fere sanguis, nunc vehementius incitat.] Cum in hoc morbo circuitus sanguinis per vasa majora satis bonus manet, pulsus minus a statu sano aberrat, quam a symptomatum saevitie expectare fas sit: ut plurimum fere paulo tardior est pulsus, & in ipsa paroxysmi accessione adhuc segnior, at in ~~an~~ paulo major, frequentior, & inaequalior, nec non & laboriosior invenitur.

Hinc itaque Diagnosticon maximi momenti habemus, quod hunc affectum ab aliis morbis longe periculosioribus distinguit: aliter ob ingentes aegrorum querelas, languores, & timores, qui cum pulsu laudabili se brevi morituros credunt, quotidie turpiter falleretur medicus.

N 2

Hoc

Hoc equidem fundamento nituntur omnia ista signa, diagnostica dicta, quibus mala hypochondriaca ab aliis omnibus distinguenda sunt; comparando scilicet symptomata, quae obviam veniant, praecipue arteriarum pulsus, cum veris morbi simulati signis: exempli gratia, morbus hic saepissime indicatur adesse per largum urinae tenuissimae, insipidae, & aquosae profluvium, & hoc cum pulsu satis bono; nisi forsan à dolore quodam atroci, gradu aliquo paulum turbatur; comparatis autem inter se diagnosticis, a diabetico urinae profluvio sat commodè distinguiri possit; quippe in posteriore adsunt pulsus creber & debilis, sitis ingens & inexplibilis, linguae siccitas & ardor, aliaque similia: Urina etiam quamvis limpida saporis subdulcis est & melliti.

Conqueruntur alii aegroti de Dyspnoea, oppressione, & gravitate pulmonum; imo & his symptomatibus, aliquando adjungitur Tussis, nunc cum, nunc sine sputo: quae symptomata non paucos fefellerunt medicos; qui morbos pectoris, praesertim phthisin pulmonariam, inde brevi subsecuturos expectaverunt.

Verum enimvero si hisce ex inficiâ errasse contigerit, proh pudor, non defuit omni aevo genus quoddam hominum, quibus ex hac morbi infidiosâ larynx occasionem captantibus, fese de tabidorum sanatione primos apud nimis credulum vulgus ubique semper gloriari mos fuit; magno equidem cum aegrorum incommodo sua comparant commoda.

At

At ridentem dicere verum quid vetat? Nonne hi medicamentorum quondam tritores, se per orbem huc & illuc palantes *Opiferos* exhibuerunt? Nonne in patriam tandem reversi, se omnia posse, omnia, praeter seipso, noscere, speciem prae se tulerunt? Quid istuc tam mirum sit, si medicum agere, si calatum rapiente dextra, quidlibet curandi aut audendi in se susciperent potestatem? sibilent licet omnes noti atque vicini, sibi ipsis tamen plaudunt, simul ac nammos contemplantur in arca.

Caeterum si res ipsa rite perpendatur, omnibus ad visendum patebunt symptomata, quae paulo ante exposita fuerunt, atque aegris quibusdam aliquando familiaria sunt; ut ut ipsum pulmonis habitum respicere videantur, spasticis causis saepissime tribuenda esse: Haec enim sese a propriis pulmonariorum morborum, & tussis vere hecticae indiciis distinguenda & secernenda redundat; eo quod abest febris tam hectica, quam inflammata: nec minus eandem rem demonstrat ipsius pulmonis habitus; eo quod vel penitus deest Sputum, vel tenue est, & larga copia febre sponte profluit; & hoc non raro, tuisse non antegressa, quin potius aegritudine.

Pag. 142. l. 21. *Neque tamen violentiora cathartica.]* Alvi subductionem fere semper petunt hypochondriaci, valida tamen purgatio semper nocet. Petunt tamen strenuo, quia alvi exinanitione ordinatim tantum facta se meliores & alacriores sentiunt.

N 3

C A-


C A P U T X V I I .*De animi affectibus.*

Pag. 145. l. 10. *Plus minusve nos movent affectus.*] Animi pathemata, praesertim iracundia, & terror, humorum congestum versus cor, caput, praecordia & viscera abdomine sita, adeo repentinum adeo inimicum efficere valent, ut ea non solum morbos numero fere infinitos, nunc leniores, nunc graviores, sed ipsam mortem subitaneam induxisse notissima res est.

Pag. 148. l. 5. *Et hac quidem via venientibus his malis occurritur.*] In hisce morbis curandis oleum & operam perdes, nisi vel sublata vel saltē diminuta sit causa primigenia. seu modestia, cogitatio, aliudve simile sit, ideoque semper delectandi sunt aegri, praecipue equitatione, venatione, &c.

Pag. ead. l. 7. *Singula sibi convenientia postulant.*] Si enim ex vigiliis assiduis, tristitia, acri studio, aut similibus ortus sit morbus, ad contraria sensim deducendus est aeger, atque ea simul exhibenda sunt remedia, quae humores diluant & resolvant, alvum laxent, somnumque inducant. Denique si ab immodico animi aestu diu

diu perseverante, & humores inspissante, or-
tum sit malum, aperientibus blandis, fero lac-
tis vaccini, lacte asinino, aquis mineralibus,
balneis tepidis emollientibus, atque aliis ejusmo-
di, diluendi & emendandi sunt humores, inter-
positis pro re nata simul salibus nitrosis & sub-
acidis.



N 4

C A-

C A P U T X V I I I .

De morbis mulierum.

S E C T I O I .

Menstruorum suppressio.

Pag. 149. l. ult. *Vultus color vividus in viridem mutatus.*] Hic morbus virgines e tempore praecipue obsidet, quo ad incrementum perveniat corpus, & plus sanguinis conficiatur, quam ad folum nutritum requiratur.

Cognoscitur adesse ab aetate sexus hanc exonerationem postulante; una cum pallore, fibram plerumque laxitate, spirandi difficultate, praecipue ad motum, membrorum gravitate & tarditate, dorsi & inguinum dolore, aliisque ejusmodi consimilibus signis.

Friend, celebris ille medicinae professor, sententiam suam de pulsa, qui hunc morbum comitatur, promulgans; illum segnem seu tardum esse pronunciavit, cui rei medici uno quasi ore assenserunt: at eam procul a verâ abesse perpetuo inveni. Ictu autem debili & crebro digitum ferit arteria, quippe putrescent & acres fiunt humores omnes retenti; unde febre qua-

quādam languidā afficiuntur hujusmodi foeminae aegrotae, & cor ob spirituum inopiam ad circuitum licet imbecillem procurandum solito frequentius vires suas exerere cogitur; & hac fortasse ratione inducti, febrem albam seu virgineam veterum nonnulli vocārunt hunc morbum.

Observavit etiam Sanctarius virorum corpora, singulis mensibus, gradu quodam ponderosiora fieri; idque incrementum ad nihilum, & corpus ad statum priorem redire certis temporum intervallis: quod fit, quolibet scilicet mense, vel diarrhoeā, vel auctā materiae per cutis meatus expellendae copia, vel majori urinae profluvio, aliisve similibus exinanitionibus quasi sponte abortis.

Hanc autem exinanitionem in foeminis, per vasa uterina facile aperienda, fieri destinavit natura; tam ob foetus nutrimentum, quam quod harum vasa virilibus debiliora sunt & laxiora; quo circa non tantum major humorum retinetur copia, quinetiam ea ipsa, propter debiliores cordis vires, nisi difficulter aut aegre, circuitum suum per varia vasa conficere non potest; & proinde hac exoneratio confuetudine, quacunque de causa perturbatā, vel prorsus impeditā, varios supervenire morbos prorsus necesse est.

Praeterea rebus sic se male habentibus, & muliebri tempore praesinito reverfuro, saepe per vias praeter naturales fit sanguinis eruptio, ex quacunque fere corporis parte, maxime

vero ē naribus, pulmone, ventriculo, intestinis,
viisve urinariis.

Hinc itaque innumeri fere morbi ex hoc fon-
te profluent, ita quidem, ut vix detur morbus,
qui ex eo emanare nequeat; dum vel obstrua-
tur, vel disrumpatur hoc vel illud corporis vis-
cus.

Pag. 150. l. 3. *Huic malo illa remedia conve-
niunt.*] Si virginī vel mulieri laxum & pallidum
corporis habitum possidentibus, & quibus per
actatem muliebria possent, aliud, quod natura
cupiebat, contingat, scilicet, vel ut non omni-
no erumpant menses, vel parcā nimis copiā,
aut longo interposito intervallo non fatis fluant,
vel ex aliā quacunque causā (praeter sanguinis
inopiam solam ab exinanitionibus largis indu-
ctam) supprimuntur, canales clausos referare,
& inclusis aperire fugam tentandum est. Hoc
optime fit 1º. solvendo humores crassos aut
nimis cohaerentes, & pro re nata eos expur-
gando. 2do, Laxando vasa obstructa. 3to.
Derivando liquida impetu majori in vasa uteri-
na, & denique totum corpus medicamentis a-
maris & praesertim chalybeis stimulando & ro-
borando.

Pag. ead. l. 7. *Quae ferrum suppeditat.*] No-
vi quasdam virgines & mulieres, quibus, par-
tim ex remediorum idoneorum negligentia, par-
timque ex nimio ferrugineorum usu, vasa ute-
rina adeo adstricta & valde obstructa redditā
fue-

fuerunt, ut insolita duritie affecta fuerit haec corporis regio; quarum aliquas ope fotuum emollientium mane, & eorundem, unâ cum cataplasmatibus, vesperi, nec non & exhibendo interna saponacea Cinnabere & Emenagogis conjuncta; in statum muliebrium naturalem reduxi. His insuper per reliquum diei convenit, abdomen pannis laneis, vel emplastro ex Theriaca Andromachi probe tectum servare.

Priusquam autem dictis his, de sanguine menstruo, nunc aliquatenus retento, nunc penitus suppresso, quae res virginibus praeceteris accidunt, finem imponere aequum sit; liceat mihi, hocce monitum solummodo subjungere: nempe quibus senectutis adventus cursui menstruo ex toto attulit finem, his, singulis annis per paucos, bis terve sanguinem detrahere oportet; aliter in morbos graves incidere solent.

Sanguinis autem detrahendi quantitas & repetitio determinari debent, non solum ab habitu corporis plus vel minus pleno; sed à copia & frequentia sanguinis singulis mensibus jam pridem emissi; quippe calida & acri humorum constitutione urgente, nulla interea accidente Plethora, saepe nimis emittitur: proinde etiamsi considerationem primam semper mereatur copia excreta, tamen ad salvam hujusmodi fluxus quantitatem aestimandam & stabiendam, certa & unica regula ab ejus copia sola profecto non est petenda.

Pag. 150. l. 8. *Antecedere debet sanguinis detrah-*

tra-

tractio.] Appropinquante plena Luna vel *nova*, sanguis ex Saphaena mitti debet; his enim temporibus praे caeteris se patefacere solent menses. Interim nullo modo mane & vesperi negligendae sunt crurum, pedum, & abdominis fricationes; cui negotio plurimum proficere & valere possunt panni lanei calidi fatis fortius admovendi; simulque idoneae corporis exercitationes, (praesertim equitatio) pro virium ratione adhibendae sunt.

Sin autem his non cedat malum, vix aliud ad menses ciendos magis conducet, quam balnea tepida ad lumbos porrigentia, interpositis subinde catharticis attenuantibus, adjuncta simul prius Mercurii dulcis sexies sublimati parva portione, quam Emenagoga dicta assumenda sunt.

Ad hunc finem etiam in diuturnis & obstinatis obstruktionibus conducunt fonticuli in femoribus; quippe tum humores deorsum derivant, tum plethoram minuendo, mala inde futura gradu aliquo praecavent.

Neque id praetermitti debet, quantum ad febrem exitum adducendum praestent Emplastrum leniter stimulantia & attenuantia, quae abdomini imponi debent.

Si vero in aliquo morbi tempore & statu, propter impetum sanguinis auctum, & vasa uterina obstructa ac contumaciter resistentia, supervenerint dolores laterum, capitum &c. præter eos, qui menstruos cursus confessim erupturos denunciant; ut sunt Dorsi, Inguinum,

Pli-

Pubis, & similium cruciatus ; mittendus est sanguis vel ex brachi venis, venis, vel ex vena Saphaena, maxime autem ex ea, quam proximè nominavi, prout res postulat.

Si vero immanes dolores has partes obsiderent, ad hos levandos ex brachio imprimis mitti sanguis debet ; ne simplex obstruc^tio ex humorum nimio impetu in veram inflammatioⁿem convertatur. His deum sedatis & interposito die uno vel altero, menstruis non erumpentibus, incidenda est saphaena.

Hoc vero non faciendum, nisi cogente necessitate, hi enim dolores mensium eruptionem praecedere solent ; & proinde fomento humido & calido, vel hujusmodi balneo, sine sanguinis missione, optime ut plurimum lavari possint.

Si vero foeminae, penes quam plenus & sanguineus est habitus, ex frigore contracto, aliâve simili causâ contigerit subita mensium retentio, nec non & urgentibus symptomatibus aggrediens ; qualia sunt Cephalaea, Pleuritis, Convulsiones, &c. unâ cum signis quae febrem vel comitantem, vel brevi adfuturam indicent. Curandus dein est morbus pro ratione symptomatum, quae tum temporis ad sint, plerumque vero larga copiâ, scilicet ad uncias decem vel duodecim e brachio seu saphaena, detrahendus est sanguis ; & exhibenda sunt nitrofa Borace Veneto, & paucō Castoreo, aliove simili attenuante & parum calefaciente medicamento coniuncta ; & dein impetratis induciis à symptomatibus

tibus multa ac metuenda minantibus, fomentis idoneis, balneis, & missione sanguinis, ex venis inferioribus, profligandus est morbus.

Hoc autem casu non simpliciter considerandus est morbus, ut ordinaria mensium obstrucio; sed ut febris inde proveniens, & ideo pro ejus more & natura, tractanda; habita semper ratione ad causam primigeniam. Quamobrem si non obstante sanguinis detractione, gravia adhuc urgeant symptomata; pro re nata repeti debet haec exinanitio.

Si vero ex minima frigoris, sub die licet tolerantia; vel virginis, vel foeminae hecicae & imbecilli; de cutis siccitate, de palmarum manus aut plantarum pedum calore acri, maxime post prandium, aut in lecto, conquerentibus, subito fieret menstruorum suppressio; hoc casu, detracto imprimis sanguine ex sphaena ad uncias quatuor vel scx, moderanda est stimulantium & emenagogorum portio pro gradu acrimoniae & caloris; ita quidem, ut si parva adfuerit febris, vix aestimanda est; erumpentibus enim mensibus sponte cessabit: sin autem magna, ex toto omittere convenit calida emenagoga & Chalybeia medicamenta, usque eo dum domari possit calor hecticus.

Ad hanc rem pertinet etiam observare, quod hujusmodi foeminae imbecilles & hecicae medicamenta, quibus ferrum insit, licet male tolerantes, Aquis Chalybeis tamen saepe multum levantur; atque eorum usum per longum tempus bene

bene ferunt, quippe tum humores diluunt, & attemperant, tum corpus corroborant.

S E C T I O I I .

Immodicus mensium fluxus.

Pag. 150. l. ult. *Non raro nimis magna copia flunt menses.]* Cognoscitur hic morbus praecipue narratione aegrotae, quae haec symptomata plerumque comitantia habet, qualia sunt pallor cum calore, sanguis licet venaesctione detrac-tus, rutilus, vividus, minus aequo cohaerens, pulsus frequens, debilis, dolor dorsi & lumbo-rum fere perpetuus, mensibus autem mox erup-turis magnopere exacerbatus, membrorum im-potentia, praecipue genuum & lumborum, lei-pothymiae, aut saltem spirituum languor & de-fectus frequens.

Pag. 151. l. 3. *Cum ea, quae sanguinem con-gunt & inspissant; tum quae fervorem ejus mi-nuunt.]* Hinc patet, quod etiam si theoretice in plurimas classes distingui possit immodicus men-sium fluxus; quoad proxim autem, revera re-ferri debet tantum in duas: scilicet, ratione caliditatis, quae hec tam ponit intemperiem; vel tenuitatis; ex humoris aquosi frigidi abun-dantiâ, quae aegrotam ad hydropem pronam in-dicit. Nimius enim sanguinis fluxus fibras ni-mis laxas vasaque uterina nimis hiantia & aperta semper relinquet.

Id.

Ideo in prima humorum constitutione, de-
tracto è brachio, paucō sanguine, exhibere
convenit remedia, quae humores acres emen-
dant, & obtundunt; interpositis pro re nata in-
spissantibus & astringentibus; una cum diaeta
levissimā, demulcente, & sanguinis aestum re-
frigerante. Decoctum etiam Corticis Peru-
viani, Elixire Vitrioli conjunctum in hoc casu
saepe multum prodest.

Hic autem omnino distinguere debet medi-
cus inter mensium fluxum naturali majorem,
debitis temporibus & intervallis solum occur-
rentem, & eum; qui ingenti copia, & perpe-
tuâ ejus fere praesentiâ vires insigniter de-
bilitat.

Prior curatione praedictâ, usque balnei fri-
gidi, ut primū occasio data sit, plerumque
fanatur.

Posterior autem valentiora petit remedia. Id-
eoque si detur fluxus nimius, ingens, & aspi-
duus; exhiberi debent astringentia, qualia praecipua
sunt Alumen, Terra Japonica, Crocus
Martis Astringens, Sanguis Draconis, aliaque
innumera in Pharmacopoeis promulgata.

Interea abdomini inferiori & pudendis appli-
centur spongiae, vel Panni lintei, Epithema-
te, ex aceto destillato & Alumine communi,
confecto imbuti; cavendo simul, ut per vices
citò successivas frigidissimi imponantur.

Haec medendi ratio convenit tam mulieribus
quam virginibus. Frustra enim virginibus me-
dicamenta injectu administranda proponimus,

num-

hunquam enim auscultabunt: & revera mulieres, nisi summa urgente necessitate, talia immittenda non sinent.

Praeterea si nimis fluant menses, cucurbitulas ingentes simplices mammis apponito, inquit Hippocrates, quod rationi valde congruum est; forti enim ab utero derivandi vi pollutae, ut in mulieribus lactantibus facile videre est; quibus, nisi valde sint plethoricae, vel ingenti acrimoniâ inquinati sunt humores, raro fluant menses.

Secunda species seri sanguinis abundantiam nimiam ponens, oritur ut plurimum a globulis sanguineis non satis valide cum sero agitatis; unde lente putrescent humores, laxantur fibrae, & debiles fiunt; persaepe simul obstruuntur quaedam vasa & viscera, dum ruptis aliis variæ fiunt haemorrhagiae; ut ictericis, hydropticis, scorbuticis, & hypochondriacis frequenter accidisse compertum fuit.

Haemorrhagiae autem uterinae hinc productae, eodem fere modo quo priores sanantur, nisi quod astringentia paulo calidiora hic ex usu sunt: & si his non cedat malum, tum profecto tutissimae & utilissimae mixturae ex astringentibus praedictis petendae; & dein accommodae syringis ope injiciendae sunt.

O

S E C.

S E C T I O I I I .

Fluores albi mulierum.

Pag. 151. l. 15. *Foedus morbus est tetra ista colluvies.*] *Foedus hic morbus tam virgines quam mulieres occupat, maxime autem eas, quae morbis diuturnis debilitatae fuerunt.* Hunc morbum comitatur mucosa materia e vaginae glandulis excreta aut profluens, cui ut plurimum se conjungit dolor dorsi & lumborum.

Pag. ead. l. 16. *Quae colore albo.*] In cacheticis autem haec colluvies non prorsus alba est, sed flavescit, & haud raro viridem colorem etiam induit, adeoque acris nonnunquam fieri solet, ut vicina corrodat, inflammet & dysuriam inferat.

Pag. ead. l. antepen. *Habitus praecipue habenda est ratio.*] An scilicet hectico corporis habitu & acrimoniâ congenéri laboret aegrota, vel an adeo pinguis & flaccidae sit temperantis & naturae, ut fibrarum laxitati, & humorum crassitudini potius tribuendum sit malum.

Pag. 152. l. 3. *Vomitum igitur plerunque primo ciere oportet.*] Si nil obstet, alternis septimanis repetendum est emeticum, saepe etiam, si ingens sit fluxus, & in singulis id fieri con-

ve-

venit, denique pro certo habendum est, omnes hujusmodi aegras aquâ frigidâ & praesertim mari fese immergere, atque aquas acidulas chalybeias dictas pro potu affatim libere debere.

Pag. 152. l. 19. *Aut aquam aluminoſam Bateanam aut, &c.] Irritis his omnibus, mulieres aliquas emeticis, & mixturiſ balfamicis ijectis, & ad hunc modum praescriptis fanavi.*

B. Terebinth. Venet. 3fl. Vitell. Ov. recent. No. 1. conterantur ſimul f. a. in mortario, dein add. Aq. Calcis ſimplic. vel Aq. Aluminof. Batean. vel Aq. Ferrar. Itj. f. Mixtura, cuius cochlearia quaedam ter quaterve de die in diem ope Syringis idoneae in Vaginam immitenda ſunt.

Hoc loco aliud etiam monitum subjungere non alienum fore puto: nempe quod in curatio- ne fluoris albi, licet moestas dolentesque extre- mis medullis querelas proferant hujusmodi ae- grotae, vitandum eft de industria opium; ne- que ullo modo adhibenda ſunt ejus generis re- media, niſi nimis dura doloris faevities, aliis vinci nescia, opii uſum reddunt omnino neceſſa- rium.

Anodyna enim ex opio confecta, proprias vires, quibus ad fefe conſtringendas & contra- hendendas à natura praeditae ſunt fibrae, & quibus denuo excitandis inſervirent auxilia praedicta, maxima ex parte deſtruunt; totamque meden-

di rationem revellendi disciplina fundatam ir-
cassum reddunt.

S E C T I O I V.

De morbo hysterico.

Pag. 153. l. 4. *Haec puellarum, nuptarum, viduarumque communis est.]* Affectio hysterica morbo hypochondriaco valde affinis est, plurima cum eo symptomata communia habet; easdem fere causas similemque medendi rationem agnoscit. Differentia euidem inter haec mala, qualis sit, potius sexus constitutioni & fabri-
cae, quam morbi naturae & generi attribuen-
da videtur.

*Foeminas enim, quae otium segne aut desidi-
diam lautam coluerunt, prae caeteris invadit
haec affectio; & cum a dapibus opimis, aut
victu pleno simul orta sit; nunc acrimoniam,
nunc crassitudinem inertem, nunc summatam pra-
vitatem ex ambobus genitam, humoribus indu-
cens; ventriculum, digestiones, concoctiones,
& secretiones omnes perturbat, fibras vellicat,
dolores, tremores & motus convulsos cuiuscun-
que fere generis in medium affert.*

Morbi interea fomes nunc in primis viis;
nunc visceribus stagnando & putrefaciendo,
vasa & viscera distendit, vicina comprimit; &
vel in corporis receptaculis coacervatur, vel
exci-

excitato, à vi sua stimulante, aestu intestino, tandem quasi factâ crisi, per varios corporis meatus, pro varia partis fabrica, foras expellitur; atque vomitus biliosos, porraceos, diarrhoeas virides, tormina, & infinita alia producit: aut denique nervorum actiones turbando, imaginationibus absurdis & ridiculis, vel phantasias horrendiis, & terroribus molestissimis sexum amabilem vexat.

Ex praemissa hujus morbi descriptione, haud quisquam a vero aberrabit; qui propriam & particularem humorum acrimoniam eorundem crassitudine quadem & fibrarum laxitate conunctam, inter primas ejus causas numerandam judicabit.

Talem autem corporis habitum indicant pulsus frequens & debilis, calore & siti comitatus; unâ cum vultus pallore & laxa fibrarum compage, aliisque ejusmodi signis antea passim recensitis.

Expositis hujus affectionis causis & signis, animadvertere liceat; quod in hujus curatione; parce omnino procedendum est ratione medicamentorum, quae attenuandi & incidendi vim habeant; aut quae sanguinem multum exagitare & incalescere solent; qualia sunt quamplurima antihysterica dicta; haec ipsa autem demulcentibus & humectantibus sociata, inter quae lac asininum primum locum tenet, concordi & quasi unanimo nisu aptissima praebebunt auxilia.

Postremo id nequaquam praetermittendum, est, quod simul ac morbus his modis se quies-

O 3 cat;

cat; ea remedia dein exhibenda sunt, quae calorem corporis haud ultra aequum augendo, ejus fibras etiam interea roborare valeant. Cortex Peruvianus, Radix Quassii vel simpliciter vel coniunctim, adjecta Chalybis perparva portione, aliis omnibus ut plurimum palmam praeripient.

Pag. 153. l. 5. *Et si non magnum periculum.]*
 Pulsus in affectione hysterica, eandem fere, ac in morbo hypochondriaco, rationem servat; in diversum enim a statu naturali vix abducitur, nisi in causa sint importunus dolor, spirandi operosus labor, aut similia; quae functiones vitales & animales misere turbent.

In his ipsis autem doloribus & angustiis longe minus inde mutatur pulsus, quam quod ex symptomatibus expectandum est; si medico per haec tantummodo iudicium facere licitum esset.

Quamplurimas enim foeminas videre fors mibi fortem objecit, quae hoc morbo laborantes, & conquerentes de constricto faucium strangulatu, pro muscularum spasmis commeante, misere fese ploravere: attamen cum iis deessent febris, tumoris & inflammationis signa, inter hanc affectionem & veram anginam dijudicare haud ardua res foret.

Conqueruntur etiam aliae ex hujusmodi acregrotis, de respiratione difficiili, anhela, fere ad suffocationem usque: haec autem a pulmonis gravitate, quae ex vasorum inflammatione, aut humo-

humorum coacervatione opprimente orta sit, profecto satis distingui queat; eo quod in utrumque latus, sine tussis augmento in paroxysmorum intervallis, pari facilitate decumbunt tales aegrotae; nisi in quantum ad dormiendi habitum pertineat: haec consuetudo autem, paucis noctibus, lateri minus assueto aequa ac alteri familiaris fit; dum posterioribus morbos in latus sanum decumbentibus, perpetuo increscit malum, utcunque diu id superare contendant.

Hystericae etiam foeminae, nec non & viri hypochondriaci, opio parva tantum copia exhibito, a Dyspnoea non parum levantur; dum posteriores ab exigua portione molestias mox ingravescentes sentiunt.

In his tamen morbis, ubi pulmo, partesque contiguae vinciri & constringi videantur, semper ad veram Phthisin praecavendam satis opportuno tempore spectare, aegrosque medicamentis lenioribus & magis humidis tractare, debet medicus: eo quod a fibris frequenter constrictis perturbatur sanguinis circuitus, & gradu quodam fistitur; ita quidem ut vasa humoribus farcta redi, & obstruktiones pericolosissimas nasci non raro compertum fuit.

Hoc autem loco paftim annotare non alienum erit, quod quamplurimae foeminae hystericae mihi obviam venerint, quae quamlibet opii particulam strenuo refugere solebant, licet iis, ex usu haud parvo, effet hoc remedium; quo casu fallendae sunt.

His igitur, quoties opus fuerit, anodyna an-

O 4

tiyh-

tihystericis conjuncta perquam modice exhibenda sunt. Proinde ut id, quod vellem, consequar, ejus generis remedia adeo certe horis quibusdam, antequam se in lectum reciperent hujusmodi aegrae, assumenda curavi; ut se quidam opii devorasse, ne minima iis insideret suspicio.

Interea multis exemplis constat quantacunque prudentia exhibeat opium, id genus remedii quibusdam foeminis nullo modo conciliasse somnum; iisque prae caeteris, quibus sunt animi, qui ad irregulares & tumultuosos muscularum motus excitandos facillime aguntur.

His autem, adhibita praedicta cautione, ipsum opium non raro dedi, summo cum ipsarum bono. Praestat autem Diacodion dictum imprimitis praescribere; hoc vero non ex voto respondentem, opium parca copia addendum est; sin vero hoc modo assumpta noceant Anodyna, prorsus repudianda sunt; & lenibus & demulcentibus, aere libero & sereno, cum levi defatigatione (modo finit aegrae status) inducendus est somnus.

Conqueruntur similiter hujusmodi aegrotae de dolore quodam nunc oneroso, nunc magis acri & acuto, totum caput aut tempora occupante, quasi clavus ibidem esset infixus: nunc de dolore, quasi frigore glaciali occiput, aut capitum verticem obsidente, praesertim cum lenissime vellicantur capilli, vel retrorsum tantum moveantur: nunc, & non raro, de crudeli temporum pulsatione cum strepitu murmurantis aquae,

aquaे, aliisque innumeris; quae in hujusmodi aegris ejusdem sunt generis; & absentibus febris & symptomatum indicis quae caput specialiter & primo affici ostendunt, a gravibus & acutis ipsius capititis morbis dignoscenda sunt.

Pari modo, de caeteris hujus morbi symptomatis speciosis habendum est examen; ea scilicet diligenter comparando cum propriis morbi simulati signis: vix enim ullum datur morbi genus, cuius formam non induit affectio haec hysterica, malorum & morborum pessimorum nec stulta nec ignava imitatrix.

Pag. 153. l. 10. *Ubi incidit in eam mulier.]*
Sanatio generalis hujus affectionis, ut mihi videtur, in paroxysmis, nullis regulis satis indicari potest, quippe cum symptomatum diversitate, diversa medendi ratio necessario prosequenda est.

Interea certissima constat experientia, ipsa symptomata numero esse fere infinita, ideoque infiniti fere requirerentur labores & distinctiones. In hujusmodi igitur paroxysmis medicus suum sat fecerit officium, si non tam morbi fascinationis, quam malorum urgentium leniminis, revera se fategerit.

Verum enimvero ut morbi curatio interea recte instituenda sit, regulas subsequentes mihi semper bene cessisse comperi.

Si adfint dolores immanes, vel nervorum dissensiones morbo comitali maxime similes, praesertim si iis antea non prona aut proclivis fuerit

rit aegrota; semper mittendus est sanguis pro gradu mali & viribus aegrae, minori tamen copia, quam in aliis morbis, iisdem symptomatis comitatis, nisi a praegressis nimis exinanitionibus orientur, tunc enim refocillandae sunt vires, & anodynus cardiacis, antihystericis, aliisque causae adversis tractandus est morbus.

Sin autem post idoneas, in primo casu, exinanitiones factas non remittant spasmis; carpis & cruribus, partibus scilicet a mali fonte remotis, applicanda sunt vesicatoria, ut alio derivetur irritatio; his vero incassum peractis, ipsi parti admoveantur.

In paroxysmis, diarrhoea, vomitu, aut dolore intestinalium comitatis, iterato haustu demulcentium & humectantium, vel clysteribus ex iisdem, pro mali indole & gradu repetendis; diluendi & expurgandi sunt humores; & dein dato anodyno cardiaco, conciliandus est somnus.

Si vero in his auxilii parum est, experiri oportet, si fotu anodyno, aromatico, adjecto spiritu vini pauxillo, vel cataplasmate simili, (demulcentibus anodynis simul interne sumptis) potuerit quies symptomatis & parti dolenti impetriri, necne? Finito autem paroxysmo, medicamentis, principi morbo adversis, curanda est hujusmodi affectio hysterica; habita semper ratione tam ad viscera roboranda, quam ad debitam recrudefcentis materiae lenem expulsionem; ne vel a subitanis nimis

nimirum exinanitione, vel acris materiae retentione, novus excitetur paroxysmus.

Pag. 153. l. 10. *Si satis virium est.*] In omnibus affectionis hystericae speciebus, eâ solâ exceptâ, quae a subita vasorum expleione orta sit, exinanitiones largae, vel repente, vel acri stimulo producetæ, fugienda sunt, etiam & in hac sp̄cie, nisi ex suppressis, quae prius largè excernendæ debuerunt, recens fiat foeminae morbus, aegraque dolore ingenti, nervosis distentionibus, aliisque affectionibus spasmodicis correpta sit.

S E C T I O V.

De partu difficulti.

Pag. 154. l. 5. *Mulieribus difficulter parentibus.*] Plurima dantur partus impedimenta, tam ratione mulieris, quam infantis; horum præcipua, quae matri competitunt, sunt 1°. virium defectio. 2°. Internum os uteri nimis durum & angustum, quod linimentis laxantibus scilicet unguento *altheæ*, &c. compositis, subveniendum est. 3°. Tumor in vagina natus, cui arte chirurgicâ pro variâ ejus species opitulandum est. 4°. Labia coalescentia, quae, si cognita ante partum, discindenda & sananda arte chirurgica, sin minus, similiter jam

jam tractanda est. 5°. Ossium nimis stricta compages, cui manu chirurgi, & linimentis mollibus succurratur. Cum autem prima species medico praecipue incumbat, de ea pauca hoc loco dicenda sunt. Vires ideoque parentis excitandae sunt cardiacis uterinis dictis pro ratione debilitatis urgentis, interposita inter suam cujusque vicem, horā unā vel alterā, ut inde cognoscatur, quod ex priori remedio expectare debemus. Etenim illud & semper & ubique servandum est, ut hujusmodi medicamenta neque frequentius quam par sit, exhibeantur, ne finito partu ingens sequeretur profluviū, neque prius quam foetus expulsio in promptu sit, aliter nihil efficiendo, nisi nimium sanguinis fluxum post partum inducendo, pessime sui ipsius famae & existimationi & parentis saluti consulet medicus.

Pag. 154. l. 15. *Cum irritis conatibus.*] Dum inani matris conatu partum plus justo accelerant obstetrics ignarae, accidisse nonnunquam novi, ut cum immineat ipse partus, defecerunt omnino vires.

His vero re ipsa deficientibus, haec praeparia sunt, de quibus quam diligentissime ab obstetricie se certum facere debet medicus: scilicet, quot horis, modo in partu fuerit mulier, an mater antea bonus vigor, an dolores antea acuti & validi fuere & jam prorsus cessaverint, & quamdiu? An uterus apertus, an aqua effluxerit, an in ore uteri positus sit iufans, an frons

frons ad os corcygis versus? Quae omnia si ita sint, promovendus est partus medicamentis cariacis, anodynis debita copia sociatis.

Neque tamen ex solo vitiō matris, quin etiam infantis impeditur partus; praecipue vel per situm ejus non naturalem, quo casu per pedes maxime educendus est; propter ejus statum immobilem, formamve monstrosum, hydropicam, aliamve naturae contrarietatem, de quibus videantur Mauriceau & Deventer; vel tandem ob ejus mortem.

Signa autem foetus mortui haec sunt; si instar ponderis ingentis premat, si arteriae umbilicales prope ejus corpus non pulsent, si mulier laboret tenesmo, syncope, horrore, halitu graveolente, & vultus colore livido; si, dein elapsis aquis, nondum peperit; si saniosa & foetida ab utero defluant, si epidermis cutis prompte a foetus cute secedat, tum etiam si cutis ejus flaccida & facile separanda reperiatur. Horum autem quaedam ex primis signis foetum mortuum at adhuc incorruptum ut plurimum denunciant; quaedam vero ex iis quae deinde recensui, eum jam corruptum esse indicant.

Nulla autem ad foetum mortuum extrahendum mora facienda est. Hoc fit operatione manuali, vel medicamentis emenagogis dictis. Prior curandi modus anteferendus est, posterior sine periculo vix fieri potest.

C A.

C A P U T X I X.

De morbis venereis.

Pag. 155. l. 19. *Humoris mucosi destillatio.*] Profluvium hoc indecorum ac debilitans diu durare, summasque medicorum ac chirurgorum artes viresque eludere ac contemnere notissimae res est: & nil mirum, cum glandularum Cowperianarum, prostratarum, & vesicularum seminalium sphincteribus laefis aut erosis, humoribus inde effluxuris quaquaversum panduntur portae.

Hoc opprobrio atitem non obstante, operaem pretium semper erit; liquoris excreti indolem & naturam probe examinare; priusquam vel auctoris medicamentum efficacissimum dictum, vel remedia balsamica astringentia, quibusdum aliis scriptoribus adeo decantata, in usum vocanda sint; quippe post validissima cathartica, imo post longam salivae proritationem peractam; virus venereum in hoc profluvio adhuc latere, saepissime novi; cui, incongruis his artificiis, nunc aliquo modo cohibito, & introfuscepto, pessima mala denuo excitandi, novasque tragodias exhibendi, ampla & haud aequa data fuerat potestas.

Aliiquid hujusmodi indolis huic fluxui adesse, suspicari semper fas erit, si quando humor, qui ex

ex genitalibus destillaverit, nec pellucidus, nec recentis ovi albumen referens, sed e contrario flavescens, viridescens, saniosa, foetens, nunc dysuria, nunc membrorum partiumque contiguarum doloribus, nunc inflammationibus, rationibus & exulcerationibus comitatus exierit. Hanc autem querelam gemitu commiftam, indubio equidem jure, edat hujusmodi aegrotus, „Pol me occidistis amici, non servastis.” cui sic reservata lues, & demptus impurus per no-civa pharmaca fluxus.

Pag. 155. l. 21. *Tam ex vesiculis seminalibus quam ex glandulis prostratis.*] Illud autem hoc loco animadvertere ex usu erit, quod hoc malum non solum partibus hisce sedem habeat, sed inquisitione rite instituta compertum fuit, profluvium hocce urethrae aut vaginae glandulis, prope fraenum in illâ, aut collum in hâc, sitis & ulceratis, multo saepius, quam vulgaris fert opinio, deberi; ideoque cum res sic se habere pateat, quis non videat istam medendi rationem, quam medicis, chirurgisque adeo commendavit auctor, non solum sine ullo levamine posse exhibendam, utpote huic proposito omnino imparem, quin quod pejus est, necesse esse, ut progressu temporis exinde consequantur effectus prorsus exitiales. Huic malo cum spe felici sanationis integræ occurrendum solummodo est medicamentis hydrargyri vires possidentibus, nunc balsamicis, nunc detergen-ti-

tibus, sociatis, & in urethram aut vaginam injiciendis; interdum & externe partis affectae ambitum iisdem fricare, quantum fieri queat, magnopere convenient. Dum haec fiunt, victu tenui, caeterisque remediis luis venereae sanationi specialiter inservientibus, simul sedulò perfeverandum est.

Pag. 156. l. 29. *Pustulae per corpus.*] Ulceræ enim venerea sunt ut plurimum in initio superficiaria, & in membranâ adiposâ tantum sita. Ablatâ quippe squamâ à tali pustulâ statim fundus se cinerei coloris visui obfert, parum profundus, inaequalis, & fungosus mucum pingue, subflavescens aut subviridiscentem stillans.



C A-

C A P U T X X .

*De morbis, qui aliis superveniunt,
aut in alios mutantur.*

Pag. 158. l. 21. *Capitis & ventriculi consensus.]* Ut dolor capitis vomitum non raro ciet, ita ventriculus male se habens, sive a flatibus, sive ab acribus humoribus, imo & jejunio, diuturnam saepe cephaleam excitare solet. Interea notatu dignum est, licet hoc, saepe sic se habere inveniatur, ventriculi ipsius tamen male affecti non est signum certum & definitum.

Pag. 159. l. 7. *Συμπαθεῖαι instrumenta sunt.]* Tristissima hujus veritatis exempla praebuerunt globi iectus ex sclopeto expulsi, & plurium animalium morsus venenati; at instar omnium morsus canis rabidi, ubi a vulnere admodum levi inflicto, summā licet peritiā curato, & demum sanato, nunc ocyus, nunc serius, horrenda plane mala supervenisse, nemo est, qui ignorat.

Pari etiam ratione patet, quod si circa ganglionem haereat acre aliquod malum, omnes rami inde nati, & forsan multi alii convelluntur, & hoc quam citissime. Si vero Ramulus

P tan-

tantum singularis afficiatur, more aurae frigidae, secundum nervi progressum, ad ganglionem tendit iste ipse de hac re sensus, & statim omnes musculi, qui ad eum pertineant, se convulsos exhibent; & dein ab horum spasmiss, irritata stirpe nervosa, per totum corpus diffunditur malum, & hoc tam celeriter, ut vix nisi ex aegri ore cognoscendum potuerit.

Pag. 159. l. 12. *Partium autem vicinia.]*
Quocirca in gravi ophthalmia licet unus tantum oculus afficiatur, convenit ambos obtenebrare, motus enim sani dolentem turbat. Similiter ex anatomicis scriptoribus pater arterias phrenicas multos ramos ad hepar dimittere, unde inflammato hepate laborat diaphragma, cui nisi cito succurratur, cito fit paraphrenitis; & vice versa diaphragmate inflammato, aut spasmiss gravior affecto, hepatis morbos modo acutos, modo longos supervenire satis notum est.

Pag. ead. l. 21. *Qui aliis supervenient, aut in alios mutantur.]* Huc spectat materies purulenta, biliosa, acris, melancholica ab Hepate, Pancreate, vel Liene in alias partes expulsa; quae dolores, inflammations, diarrhoeas, dysenterias inducendo, varios morbos excitat.

Interea nec id praeterire oportet, quod vix illae in tota arte medendi majores difficultates sepe medico obviā praebuerint, quam quae nonnunquam aut symptomatibus, per vices omnino inexpectatas, in alia & diversa quidem
mu-

mutatis, tribuenda sunt, aut quae nonnunquam a morborum metamorphosi, quasi novas species atque formas prae se ferentium, ortum suum habuerunt.

Horum unum aut alterum exemplum hoc loco memorasse non alienum erit. In mali moris variolis, quae perpetuis vigiliis, delirio, aliisque ejusmodi symptomatibus comitatae erant; si post idoneas exinanitiones, quae ad haec mala allevanda necessario institutae fuerant, placide & diu dormiat aegrotus, tandemque ex-pergiscens ad se redeat; res in vado poni videtur: at acutissimi hic opus est judicii; etenim, si aeger ille per plures horas placido somno fruens, & demum, vigil ad somnolentiam videatur proclivis, simulque largi, licet calidi adfuerint sudores; talis symptomatum mutatio, ut ut fausti ominis spes alat, admodum anceps est & lubrica; eo quod hujusmodi aeger, nisi jusculis idoneis, temperatis cardiacis, aut, si opus sit, & fortioribus stimulantibus, atque impositis vesicatoriis, illico succurratur, circa tempus abscessus persaepe autem citius, morietur.

Porro nec minus falli viros quosdam, medicamentariorum potius quam medicorum nomine dignos, mihi vidisse contigit: qui sub pleuritis vigore crediderant morbum leniri, quia le-nior evasit dolor; siebat autem interea malum priori pejus: utpote pleuritis nunc in peripneumoniam transferat: quae per signa sibi propria cognoscatur; qualia sunt respiratio frequens & difficilis, thoracis gravitas anxia, pulsus mol-

lis, creber, & debilis cum genis rubentibus ; quae omnia sanguinem in pulmone fisti clare docent.

Pari etiam ratione, si quando symptomata testentur morbi cuiusdam inflammati causam materialem se in fauces transtulisse posse, nullo tumore externo apparente, nullisque interea praesentibus signis suppurationis benignae in his aut vicinis locis brevi futurae ; anginam periculosissimam & plerumque lethalem instare ; periti est medici officium, sine mora, pro certo annuntiare.

Pag. 159. l. 27. *Liberationem morbi promittunt.*] Similiter jecinore & ejus vesicâ seu bilie nimiâ oneratis, seu alia ratione modoque obstructis, lien fit tumidus & hebes ; restituto autem forte fortuna humorum fluxu, obtuse dolet. Bonum itaque hoc ictericis signum praecipue iis specie inflamatâ laborantibus. Neque aio modo evenit in phrenitide, ubi stupor, gravitas, vel dolor in brachiis repentinò orti, materiam fluxam redi, eamque ad cor per venas ferri indicant, & proinde felicem mali terminatiōnem praesagiunt.



C O N-

C O N C L U S I O.

De vita regimine.

Pag. 162. l. 20. *Sensim igitur quaecunque mutationes facienda sunt.*] Hanc regulam perpetuo in honore & memoria servare debet medicus, & praesertim quando ex apta medendi ratione institutâ, pateat remedia sensim & lente actura, alterantia dicta, in usum necessario vocanda esse. His enim in exhibendis nunquam non devitanda est festinatio, quippe summâ cum curâ, diligentiaque ad singularem humorum crasis habendum est respectus, & ad contrariam sensim & quasi furtim deducendus est aeger; nam quemquem suo modulo metiri oportet, & officio suo turpissime deesset, iste medicus, qui hujusmodi morbidis, nisi cautè & gradatim, medicamenta directò specialia exhibere auderet.

Pag. ead. l. penult. *Commodissima est equitatio.*] Super insigni autem hac medendi ratione, illud porro monendum habeo; persaepe errasse medicos, perpetuam fere per mare per terras peregrinationem aegris, praesertim phthisicis, indiscriminatim imperando.

Hujusmodi enim exercitationes eo tantum valent, quo fibris corporis concussis, ita roboretur ejus habitus; vel ut congesta quaedam one-

P 3 rosa

rosa excutiantur, & expurgentur; vel ut excernenda omnia eum servent modum, quem ultra, citraque nequit consistere vera sanitas.

Ubicunque igitur acrimonia calida & putris humoribus inhaereat, atque correctioni & emendationi in primis sese ob viam offert, noxiae ut plurimum sunt pleraeque ex propositis hisce equitationibus & exercitationibus, ut ut laudatis; praesertim eae, quae aut corpus fatigent, aut ejus calorem adaugeant. Cum autem dura haec rerum & humorum conditio, prae caeteris omnibus aegris, phthisicos premit, medico perattenta cautio esset, ne hujusmodi morbidis quaelibet data sit occasio, quae, se specie recti deceptos, plus plusque in dies, in immedicabile malum inducat.

Pag. 163. l. 8. *Verriculis.*] Cum de rebus ipsis a nostro auctore traditis, non de verbis follicitus fui, sat admodum habeo, si de verriculo admoneam tantum, hoc vocabulum apud bonos Latinitatis scriptores nusquam eo in usu fuisse, quo ei hic tributum est. Sensus sane vocem quandam, qualis est scopula in verriculi locum substituendum postulare videtur. Quibusunque autem aegris talis adsit infirma veltudo, quam idoneae exercitationes fieri nequeant, illud insuper scire oportet, quod caeteris succedaneis longe praestantius & tutius remedium aut praesidium in parca semper, ac pro rei ratione nonnunquam curtâ vietus copia habendum est.

Pag.

Pag. 163. l. 23. *Aliquid tamen consuetudini dandum est.*] In alimentis enim exhibendis bene perpendendus est ventriculi & primarum viarum status, eaque licet minus efficacia, prae caeteris eligenda sunt, quae iis minime repugnant, exempli gratiâ, si mulier gulæ dedita, dapiumque appetens, caenaque desurgere dubiâ gaudens, se iteratis doloris colici paroxysmis obnoxiam reddiderit, non statim hujusmodi aegrotæ, acrimoniâ humorum calidâ haud raro & putri simul laboranti; cibis atque potibus maxime refrigerantibus aut succo limonum, vel acidis fortioribus admistis aggredienda est curatio, acriter etenim dolebit ventriculus; sed blandis & insulſis, laete aſinino, & ſimilibus, cum paucō aromate sociatis tractanda eſt; nec non & aquas Bathonienses pro varia ventriculi conſtitutione exhibere, ex indubio & incolumi uſu erit; denique ex his ſenſim ad magis refrigerantia progrediendum eſt. Neutiquam autem haec cautio neglectui eſt medico, ne novo & insanabili ut plurimum morbo exinde oborto, ipſe tanquam magni hujus mali aut forſan ipſius mortis citò futurae opifer, non caecis & vi- tiosis, ut promiscue & communiter fieri ſollet, ſed perſpicacibus & veriſſimis vicinorum ſuffragiis damnatus, tota vituperabitur urbe.

F I N I S.

inventum deponit. quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,

quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,
quod si non deponit, quod si non
deponit, quod si non deponit,



